



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Liber III. Docet quomodo sint obeundæ Missiones, susceptæ pro iuuandis
anomabus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

coleret Deum, id quàm indignum esset ei ostendere volens per Nathan Prophetam dixit 2. Reg. 12. 7. *Ego vixi te in Regem super Israël &c. & si parua sunt ista, adiciam tibi multò maiora.* Quantò magis ergo, indeuotis & malis Sacerdotibus Deus exprobrare potest, cum illos fecerit Regibus excellentiores, &

præfecerit non solis corporibus Hebræorum, sed totius mundi animabus accedentium ad quærendam apud eos absolutionem peccatorum, illis maiorem potestatem quàm Regibus & Principibus terræ dederit?

Hæc ponderent Sacerdotes & tam miræ Dei erga se beneficentiæ corresponsdeant.

L I B E R T E R T I V S.

De officiis Sacerdotum, in Missionibus pro iuuandis animabus susceptis, extra domicilia & in locis in quibus habitant.

I N D E X C A P I T V M

H V I V S L I B R I.

<i>De sine Missionum.</i>	CAP. I.	<i>Notanda pro confessionibus audiendis tempore Missionum.</i>	CAP. XII.
<i>De preparationibus necessariis ad Missiones.</i>	CAP. II.	<i>Diffugienda fugienda tempore Missionum.</i>	CAP. XIII.
<i>Quid primum in loco Missionum faciendum.</i>	CAP. III.	<i>In conuersione hereticorum quomodo procedendum.</i>	CAP. XIV.
<i>De ratione viuendi in locis & domicilium Missionum.</i>	CAP. IV.	<i>De industriis aliis ad iuuandas animas conducentibus.</i>	CAP. XV.
<i>De modo conuersandi tempore Missionum.</i>	CAP. V.	<i>De ratione formanda concionis Instructio scripta à Roberto Bellarmino Societate Iesu postea S. R. AE. Cardinale.</i>	CAP. XVI.
<i>De modis conuertendi vel adiuuandi in spiritu peccatores.</i>	CAP. VI.	<i>Modus breuis componendi conciones vel sermones traditus à P. Hieronymo Florianantio Soc. Iesu.</i>	CAP. XVII.
<i>Magnâ animi applicatione laborandum in Missionibus.</i>	CAP. VII.	<i>Defectus quidam in concione vitandi, valde improbatî à magnis concionatoribus, & auditoris magno iudicio pradiis.</i>	CAP. XVIII.
<i>Quæ vitanda in adiuuandis animabus.</i>	CAP. VIII.	<i>De modo dandi piæ meditationes secularibus hominibus in Missionibus iuxta consilium S. P. Francisci Xaverij.</i>	CAP. XIX.
<i>De seruandis quibusdam rebus, vt sine proprio & aliorum damno succedant Missiones.</i>	CAP. IX.		
<i>Quid faciendum si fructus non respondeat labori Missionum.</i>	CAP. X.		
<i>Contradictiones tempore Missionum quomodo toleranda.</i>	CAP. XI.		

Index rerum particularium huius libri, dabitur ordine alphabeti in fine totius tomi.

P R O O E M I V M.

336.



Vi ad Missiones à suis Superioribus mittuntur, nullam habentes rationabilem causam eas detrectandi, eas alacriter & promptè in nomine Domini suscipiant. Qui autem, non scrupulis adacti sed præteritis experimentis periculorum labendi in peccata grauiã anguntur, repræsentent Superiori since-

rè (non vt effugiant labores & incommoda Missionum, sed vt animam præseruent, à periculis grauium lapsium) pericula quæ timent, & quæ aliàs sunt experti. Præclarum est hac de re monitum S. Chrysolto-
mi : *Preceamur Deum, ne intremus in tentationem, inducti verò, (hoc est, iusti à Superiore bene informato de vestris periculis, & illa non*

esse hinc & nunc timenda asserentibus) generose feramus. (Sperantes in Deo, ut ait Apostolus, cum tentatione prouentum) nam illud quidem est modestorum uirorum se periculo non ingerere, hoc autem generosorum atque sapientum. Nec itaque nos geramus temerarie (non reuelando pericula Superioribus, quæ aliâs in similibus occasionibus experti sumus) audacia enim est: neque rebus tracti uocantibus celamus: timidi siquidem est: Sed si prædicatio uocet, ne recusamus. Cum uero nulla causa prorsus aut utilitas necessitas, secundam pietatem uocetur ne curramus. Offensatio enim est, & superflua iactatio.

CAPVT PRIMVM.

De fine Missionum.

377 Missionarij ante omnia finem sibi præfigant eum quem toties S. Ignatius inculcat in Constitutionibus, scilicet, *Puram intentionem Diuini obsequij*, eamque sæpè renouent, quatuor ob causas. *Primo*, quia hoc nobis sæpè S. Pater in Constitutionibus inculcauit nimirum 242 vicibus, prout ipse numerati, lecto ob hanc solam causam his cum speciali attentione Examine Societatis, & Constitutionibus omnibus à primo uersu ad vltimum. *Secundo*, quia hæc pura intentio Diuini obsequij à S. P. Ignatio ponitur ex parte 10. parte Constit. § 2. inter media, quæ hominem cum Deo coniungunt, tanquam instrumentum, ut à Diuina manu gubernetur, & ut assequatur finem, quem sibi præfigit, auxilij animarum, ad vltimum & supernaturalem suum finem consequendum. Cum autem finem nullas possit consequi sine aptis medijs, præsertim si supernaturalis sit, uti est finis noster, & animarum, quarum auxilium querimus in Missionibus; & hanc puram intentionem S. Pater ponat inter talia media; sæpè ea est excitanda & coniungenda cum alijs medijs, ab eo, & ab alijs sanctis ad hoc assignatis. *Tertia*, causa eius adhibenda, est, *lucrum spirituale nostrum*, quia sic pro animabus laborando, multas & magnas coronas nobis in celo paramus, propter multa merita quæ hac intentione laborando congregamus. Est enim intentio circa supernaturale obiectum præstantissimum, scilicet Deum ipsum. *Quid potest esse eo felicius*, inquit S. Prosper lib. 2. de uita contempl. cui efficiatur suum Conditor, census, & hereditas eius dignatur esse Diuinitas. *Quarta*, causa. Quia si aderit recta intentio, non se immiscebit inordinatus personarum respectus, sed eæ personæ iuuantur, ex quibus maior redundabit gloria in Deum.

378 *Nescit Religio nostra*, inquit S. Hieron. epist. 14. ad Celantiam, seu S. Paulinus, personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Et, ut idem scribit in cap. 1. Malach. Si suscipiat eos, qui cum annulo aureis ad se ueniunt, & pauperes sanctos repellat, nomen Dei despiciat, & panem pollutum doctrinarum, & in ipsum Deum contumelias iacit.

Lancij Opusc. Tom. 2.

Cur quia illos repellit à se, quorum plures sunt qui Christum sequuntur, quam diuites. Hinc vulgus Christum passim sequebatur, pauculi diuites. Vbi autem est recta intentio Diuini obsequij, eos potius iquare conatur, qui magis adherent Deo, conuersi, & frangat inclinationem uiciosam ad conuersandum cum diuitibus. *Prounum enim genus est hominum, fauere honoratoribus*, inquit S. Ambrosius l. 2. Offic. c. 24.

CAPVT SECYNDVM.

De preparationibus necessarijs ad Missiones.

379 **P**reparandus est noster animus ad has Missiones ritè obeundas excitando pijs considerationibus in nobis zelum salutis animarum. Zelus non est qualecunque desiderium, sed est effectus uehementis amoris, ut ait S. Chryl. hom. 23. in epist. ad Corinth. 1. seu, ut scribit S. Dionysius Areopagita de Diuin. nom. c. 4. *Generatur ab amoris seruore*. Ideoque ibi ait, Deum appellari *Zelotem*, quia amore feruenti profectur res à se creatas: vel, ut S. Thomas docet 1. 2. q. 28. art. 4. *Est effectus amoris, proueniens ex intensio- ne amoris; quem qui habet*, ut ibidem ait S. Thomas, *mouetur contra illud omne, quod repugnat bono amici, illudque repellit, & ea quæ sunt contra honorem, vel uoluntatem Dei, repellere secundum posse conatur*, iuxta illud 3. Reg. 19. *Zelatus sum pro Domino exercituum* (ut dicebat S. Elias Propheta) & Ioan. 2. *Zelus domus tuæ comedit me*. Vbi Glossa (S. Augustini) dicit, quod homo zelo comeditur, qui qualibet praua, quæ uiderit, corrigere satagit: Si nequit, tolerat, & gemit: Hæc S. Thomas. Hinc Cant. 8. 6. *Zelus comparatur inferno: Dura sicut infernus emulatio*, quod idem est, ac zelus: quia sicut infernus cruciat animas, ita zelus cruciat corda Deum amantiū, dum uident vel audiunt Diuinam Maiestatem offendi. Zelus est ignitus amor. Ideo Apostolos ad prædicandum ituros, igneis linguis prius imbuunt. *Abque igne*, inquit B. Laurentius Iustinianus de compunctione & complacitu christianæ perfectionis, *quis ignem accendet: & sine caritate, quis caritatis officia consummabit: Ardeat dilectionis flamma semper in te, quatenus calore tuo proximorum excutiat tepor, immo accrescat amoris incendium: quomodo præteritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris planè inflammare ceteros, si fueris tu caritatis incendio concrematus. At tu si frigeas, si torpore iceas, nullamq; honoris diuini & fraternæ emulatio- nis sentias famem, quid proferes quid proficies? Erunt utique audientium corda lapidea & impenetrabilia, quemadmodum tuum. Eris, inquam, tanquam aramentum sonans & cymbalum tinniens. Habeto itaque geminam caritatem, Dei uidelicet & proximi, ut eodem, quo tu, repleantur spiritu, qui erudiuntur abs te. Hæc est sartago ferrica, quam Deus iussit Ezechielem*

Z chielem

chielem assumere, & ponere tanquam murum ferreum inter se & ciuitatem, Ezech. 4. Per arborum fructum, inquit S. Gregorius hom. 12. li. 1. in Ezech. fructura, per ferrum vero sortiundo ostenditur. Quid autem ita Magistri atque Doctoris mentem quam zelus Domini frangit & exurciat: Et, uti in quodam raptu dixit B. M. Magdalena de Pazzis 3. parte vitæ §. 8. die. Ad Christi in cruce transfixi similitudinem anima transfigi cor; quando percussa vulneris amore, anxio desiderio desiderat, ut omnes creaturae conuertantur ad Deum. Et sicut Verbum misit Spiritum S. sic illum certo quodam modo mittit anima cum Verbo, quando cum aspiratione adtraheudo illum ad se, illum deinde infundit per spiritualem communicationem & admonitionem in alias creaturas, quæ sunt aptæ ad recipiendum eum. Talis zelus erat in S. Rege Dauide Psal. 118. 138. 139. Vidi prauaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt, Et. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliui sum verba tua inimici mei. Sic cruciabatur à zelo S. Paulus, 2. Cor. 11. 29. Quis scandalizatur, & ego non vror: Immo magis quam infernus vrebatur cor eius zelus Diuini honoris, quia optabat anathema esse pro Christo, Rom. 9. id est priuari gloria cæli & detrudi ad infernum, tantum ut homines cessarent Deum offendere, Ita explicat hunc locum Origenes, Chrysostr. hom. 16. & l. 4. de Sacerdotio c. 4. & l. 3. de prouidentia, & hom. 79. ad populum, & S. Anselmus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus in Commentario. Et Cassianus Coll. 23. c. 6. & alij. Talis zelus erat in Moyse Exod. 32. 31. Obsecro, peccauit populus peccatum maximum, feceruntque sibi Deos alienos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, hoc est: excidam ab æternâ beatitudine, ut exponunt Origenes, S. Ambrosius, Theophylactus, S. Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis, & lib. 3. de prouidentia. & lib. 16. in epist. ad Rom. & hoster Tyrinus.

340.

Talis zelus erat etiam in nostro S. P. Ignatio, qui inter ipsam negotiorum molem, perditas meretriculas tanto studio conabatur ab impuritate auocare, ut si qua ex iis respiceret, seque intra pudicitia septa recipere vellet, grandis iam natu vir & Præpositus Generalis antecedere ipsemet, ac perductoris quodammodo munere fungi. Christi causa, non erubesceret. In quo cum admoneretur à quibusdam, frustra tempus ac laborem infumi, quippe insanabilis esse eiusmodi seminas, ac licet in presentia penitentiam ostenderent, breui tamen ad ingenium rediturus: Ego vero inquit ille, cuiuslibet istarum vnus duntaxat noctis impedisse flagitia & iniurias in Deum, omnis opera ac vigilantia pretium duxerim. Talis erat zelus & in S. nostro

341.

Xauerio, ut paulo post dicam. Talis zelus erat in B. M. Magdalena de Pazzis, quæ ut dicitur 4. parte vitæ eius cap. 24. Orans in raptu pro conuersione cuiusdam peccatoris, clamabat: ô si aliquando demones non haberent occasionem molestandi me visione peccatorum humanorum! ô Verbum, quàm libenter pateret quoduis genus martyrii, dummodo eum vi-

derem conuersum: sed non esse mihi martyrium, verum paradysus. Et cap. 28. Aded desidero conducere animas ad te, ut mihi sit pena hoc desiderium, & hæc pena aded est mihi grauis, quia non possum hoc implere desiderium, ut mihi sit quasi quidam infernus. Et in altera eiusdem vita Romæ impressa cap. 97. hæc de ea scribuntur: Peculiaris deuotione prosequatur illos Ordines Religiosos, qui ex particulari instituto attendebant dilatazioni Regni Dei, & propagationi Sanctæ Fidei per conuersionem animarum. Dum legeretur quandoque vita S. Francischi Xauerij & littera Iaponica conuersionem animarum recensentes, videbatur deficere præ desiderio manendi in illis regionibus, & cooperandi conuersioni animarum illarum, & subeundi pro illis martyrium; & aded accendebatur hoc desiderio, ut diceret se inuidere auiculis, quæ possunt volare quò vellent, ed quod & ipsa, sine præiudicio sue professionis, cuperet, si esset possibile, totum mundum peragrare, propter animas conuertendas. Vnde etiam dormiens ex zelo animarum somniabat & loquebatur de conuersione infidelium. Vt autem cooperaretur huic conuersioni quantum poterat, cum aliter non posset, sepe pro illa offerebat Sanguinem Iesu, & applicabat hæc intentione opera Religionis, preces, communiones & multas afflictiuas penitentias, quibus carnem suam atterebat. Hoc ipsum commendabat monialibus, præsertim sua cura commissis. Ided sepe manè dum ea congregaret ad labores vel alia exercitia Monasterij dicebat: Offeramus Deo pro conuersione animarum omne id quod hodie faciemus. Vel: Petamus à Deo tot animas quot passus faciemus per monasterium. Vel: Rogemus ut tot Deus animas conuertat, quot verba proferemus recitando Diuinum Officium. Et dum ac laborarent; Petamus tot animas quoties acu filum traducemus. Dum abluerent vestimenta linea, exhortabatur ad petendas tot animas, quoties manus aqua immergerent. Denique in quouis exercitio Monasterij similes petitiones animarum conuertendarum uerbabat. Sentiebat dolorem grauissimum audiendo multiplicari hereticos. Et c. 98. scribitur: Quod illa ei si pateretur sepe & diu magnam ariditatem spiritus, & tentationes graues, tamen sentiebat in se feruens & efflicax desiderium salutis animarum (pondera hoc, cur Deus id in ea reliquerit, & in aliis atidam voluerit esse). Et cum die quadam grauius impetretur à grauissima tentatione contra fidem, aded, ut ad repellendam eam necesse fuerit adhibere sibi vim maximam & violentiam, nec tamen posset ab ea libera esse per longum tempus, & præ angustia spiritus etiam sudare cogebatur in eâ repellendâ, & videretur esse derelicta à Deo, & ne quidem inuocando Verbi operem, vltimum leuamen sentiret in illa tentatione, recurrit ad hoc desiderium salutis animarum, & dixit: Sursum corda habemus ad desiderium salutis animarum omnium credentium, statim euauit omnis tentatio, & mens exhilarata est, abactâ omni tristitia. Nec vlla hora transibat, quin aliquo verbo vel facto ostenderet hoc continuum in se desiderium salutis animarum, quo plane consumebatur, nec vilo exercitio ab eius memoriâ distrahebatur. Sepe noctu proripiebat se ex lecto, & ibat

4116

ante SS. Sacramentum ibique prostrata in terrâ amarè deflebat Dei offensas, & petebat salutem animarum, præsertim tempore Bachanaliorum, quo Deus à mundanis magis offenditur, & quo urgebat penitentiis & precibus pro peccatoribus, aliisque Moniales ad hæc excitabat. Simili modo diebus Quadragesime quando iu-
bentur meretrices audire conciones, specialiter orabat pro conversione illarum, Et c. 99. Ex desiderio magno iuuandis animas præter extraordinarias afflictiones & penitentiis quibus se enecabat, petebat à Deo infirmitates, penas & tribulationes, & omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur, & obtulit se Deo etiam ad ferendas inferni penas, si hæc esset eius voluntas, pro animabus. Et in quodam raptu dixit: si anima acquireret infernum sine Dei offensâ, pro reducendâ vnâ animâ ad Deum, deberet gloriari, si hoc faceret pro puro Dei honore: tantoperè æstimabat salutem animarum. Et ita desiderans penam pro salute animarum, Deus sæpè exaudivit eam, immitendo graues dolores & infirmitates, quæ per hebdomadas & menses durabant. Et dicebat, hoc pati sibi esse solatio, & vocabat id penam gloriosam. Et semel in raptu dixit: Non sentire penam, sibi esse magnam penam, volens significare, maiorem penam sentire animam suam, dum nil pœnale patitur pro conversione animarum peccatricum: nam in patiendo pro illa, inueniebat tantam confortationem sui, quæ superabat penam. Adeoque optabat pro animarum conversione pati, vt quauis horâ & quouis momento, si esset possibile, voluisset pati martyrium pro animabus, in modo mille mortes. Et se felicem reputasset, si hoc sibi à Deo concederetur, & tunc martyrium, non foret sibi martyrium sed paradysus. Aliàs dixit, quod vellet posse mori milies, vt possit totidem vicibus redire ad vitam, & toties vitam perdere pro salute animarum. Quadam vice cum oraret pro conversione quarundam animarum, existens in extasi dixit: Domine si non facies mihi gratiam dandi mihi istas animas quas à te peto, dicam etiam ego, me nolle venire ad possidendam gloriam quam mihi preparasti. Alia vice dixit: Si Deus à me peteret, vt olim petiit à S. Thoma Aquinate, quam mercedem vellem pro meis laboribus, non aliam petirem quam salutem animarum. Hunc zelum animarum in se excitabat tribus considerationibus: Primò, considerando sæpè amorem Dei erga animas, & quantum Christus passus sit pro illis, & cum quanto amore pro salute animarum nostrarum, & quod ea sint hereditas Iesu data ei à Patre æterno: Quocirca cū tam intente amaret Deum, & suum sponsum Iesum; nõ poterat non amare & non zelare medullitus illas animas, quas ad eum amabat & zelabat Deus. Secundò, considerabat quam pulchra sit anima existens in gratia Dei, & quanto perè Deus delectetur in illâ, & quam magnum hoc sit bonum in illâ animâ. Tertio, considerabat, quam deformis & turpis sit anima peccato mortali sedata, & quam malus eius status. Et c. 10. Visa diuinitus peccati turpitudine, & malitiâ, ad eum doloribus ingentibus cruciabatur, vt in raptu exclamarit latine: Circumderunt me dolores mortis, dolores inferni circumderunt me, comedit me dolor inferni, pro multitudine iniquitatum nostrarum. Et hoc ipsum ex-

Lancij Opusc. Tom. 2.

citabat in ea zelum animarum, & vt alij illum haberent.

Et hoc primum motiuum nobis esse debet, ad excitandum in nobis hunc zelum, exẽplum 342.
Moyſis tanti viri, & tanti Apostoli, qui minoris æstimabat detrudi ad inferos, quam videre & audire Dei offensas: ideoque eas vt impedirent, tantoperè laborarunt, præsertim Apostolus Paulus, qui tot labores & itinera suscepit, tot pericula subiit, tam multa passus est, vt scimus. Sciebat enim quantum bonum sit impedire Dei offensas, ex hoc zelo Diuini honoris: quia vt ait S. Dionysius Ateopagita c. 3. cæl. hierarch. Dei adiutores sunt, qui conantur homines ad eum reducere, ornareq; sanctimoniam; Quod sine zelo ægrè fit. Ideo S. Ambrosius in Plal. 118. Angelos ipsos aliquid esse negat, sine zelo. Homines verò eo præditi maximum sacrificium Deo offerunt. Quia, vt dixit S. Gregorius Papa hom. 12. in c. 4. Ezech. & in fine libri primi in Ezech. Nullum omnipotentis Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum; Sed pauci habent zelum talem S. Macarius h. 38. aurum, inquit, facile reperitur, margarite verè & lapides pretiosi, qui faciant ad diadema regum, rariùs inueniuntur: frequenter enim ex eis non reperias qui conserant: eodem etiam modo, Christiani in construenda corona Christi, vt anima illa Sanctorum euadant sociæ. Qua de te præstat audire à S. 243.
Carolo Borromeo data motiua ad excitandum zelum animarum, quæ scripta reliquit in Epitome institutionum ad Oblatos S. Ambrosij pertinentium, & habentur parte 5. Actorum Ecclesie Mediolanensis, vbi lib. 3. c. 2. pag. 837. S. Carolus spiritu Societatis nostræ plenissimus sic loquitur: Animo assidue cogitent, quam nobiles sint animæ, & pretiosa in conspectu Domini: quanta sit earum dignitas, quas proprio sanguine redimere filius Dei non recusauit: quamque præcellens opus sit, in eo salutari officio Dei esse cooperatores, quo nihil certè in terris illustrius nobilitus excogitari potest. Ibidem pag. 838. Ob oculo: mentis præterea sempiternam gloriam sibi perpetuò proponant, quam mercedis loco, iis qui nauiter munus hoc præstant, preparauit Deus: contra verò vniuersas penas iis constitutas, qui rem tantam contemnunt, intueantur sedulo: præterea animaduertant, quanta veteris testamenti literis mandata, hominis gratiâ fecerit Deus. Atque in eo potissimum cogitationem mentemq; omnem figant, vt attentè considerent aduentum in terras Domini nostri Iesu Christi Filij Dei, diligenterq; perpendant, dum nobiscum in terris commoratus est, quanto desiderio nostræ salutis accensus fuerit, quantaq; perpeſsus sit. Cogitent denique animas hominum ipso augustissimo Christi sanguine redemptas & ablutas fuisse. Hæc si cogitent Oblati, iure ac merito sperari debet, talibus cogitationibus quasi quibusdam facibus animum illorum ita accensum iri, vt nullus vel maximus labor esse possit, quem illi subire recusent, ne pretiosissimi Christi sanguinis fructus in ipsis alijsq; ipsorum negligentia depereat. Considerent præterea terribilem animarum stragem, quam generis humani sempi-

ternus hostis sathanas facie, quantum in illis perden-
dis sollicitudinem adhibeat, quibus utatur ministris,
quâ alacritate sollicitudineque, quibus laboribus &
vigiliis celesti ministri opus urgeant, indefessi atque
assidui, iidemque perpetui & obfirmati. Quare tur-
pissimam rem sese facturos existimare debent Iesu
Christi Ministri, si ita Magistri sui voluntatem di-
gnitatemque suam atque sempiterna premia per-
dent, vel à Christianâ charitate tam alienos se praebe-
bunt, ut à sathana Ministris superari se sinant, patian-
turque ut illi maiori studio ad se, & alios perdendos,
quam ipsi, ad suam aliorumque salutem tuendam in-
cumbant. Sed illud quoque considerent quanta quam-
que ampla sit haec mens, quanta spiritualium bono-
rum egestas, quanta salutariter aegritum penuria, quam
pauci veri Ministri, qui sancto desiderio accensi, suis
commodis neglectis, terrenisq; utilitatibus, solam Chri-
sti Domini nostri gloriam animarumq; salutem spectant.
Præterea si constituant ante oculos, plurimos maximosq;
labores, quibus SS. Apostoli pro animarum salute, dum
in terris degerent perfuncti sunt, atque inter hos S. Pau-
li perpetuas vigiliis, itinera, conatus, & præclaras con-
tentiones atque actiones. Respiciant innumerabiles
Martyres, SS. Episcopos, & sacerdotes, qui sancto ani-
marum amore flagrant, omne laborum periculo-
rumq; genus, libentissimo animo subierunt. Ut autem
etiam eorum qui in misero peccati mortali statu per-
seuerant, misereri sciant, nullumque laborem ad eos
tam ingenti miseriâ liberandos subterfugiant, immo
verò libenti animo in hoc maxime laborem secum ipsi
cogitent, quantis in calamitatibus, periculis, horribili-
busque malis, versantur, qui peccato mortali adstricti
tenentur. Ibidem p. 839. Salus animarum quantis
facienda sit, ex incredibile dignitate animarum conici
intelligere potest, quæ si cui forte obscura est, clarissima
Iesu Christi verba perpendat, animam unam toti
mundo præferentis. Quid prodest, inquit, homini et-
iamsi vniuersum mundum lucretur, anima verò sua
detrimentum patiat. Eiusdem præterea res omnes ge-
stas animaduertat. Quid enim aliud ille voluit, cum è
celo descendit, laboriosissimam vitam in terris du-
xit, acerbissimam denique mortem subiit, quam ho-
minum animas, ab eterno periculo & morte libe-
rare. Hic certè laborum omnium susceptorum sco-
pus, hic sanguinis effusus, hic crucis & mortis fructus
fuit, eo in opere adiutores ei sunt, qui Verbi Dei præ-
dicationi operam nauant. Quare cum eo officio fun-
gantur Diuini Verbi prædicatores, quo Christus ip-
se perfunctus est, ab eodemque præstantissimo mun-
dere animarum salus pendeat, illius dignitatem
præstantiamque intuentes Oblati, maximâ certè
tum verborum tum materialium grauitate, maxi-
maque vi spiritus illud tractare debent, nihil eo ne-
que vilius homini neque Deo gratius atque acceptius,
à quouis homine præstari posse pro certo habentes. Id-
em S. Teresia teste Didaco Iepesio in eius vi-
tâ libr. 3. cap. 25. Cum sapè legendo vitas Sancto-
rum incidere in aliquos, qui multas animas redu-
xerant ad Deum, magnâ deuotione & teneritudi-
ne eam ob causam replebatur, dicebatque, hoc se eis

magis inuidere, quam multa martyris quæ patiebantur:
ideoque maxime estimabat & amabat eos, qui
in inuandis proximis occupabantur legendo vel con-
cionando, vel alius modis: Et incommotis ac labo-
ribus eorum compatiebatur. Si aliquis talium agro-
taret, peculiarem pro eo orationem fundebat, ut
quam primum conualesceret, & rediret ad lucra ani-
marum procuranda. Quod si aliquando huius-
modi mori contingeret, etsi non esset ad plantus sa-
minarum proprios proclius, tamen magno cum do-
lore multas profundebat lacrymas, ob iacturam v-
nius in terrâ, qui tot animas lucrabatur pro celo.
Cum tamen audirâ morte fratris, nec unam quidem
lacrymulam sparserit. Hanc ob causam etiam
olim Eremita, soli in speluncis & antris ha-
bitantes, prodibant zelo accensi conuertend-
arum animarum, quas hæretici seducebant.
Sic teste Theodoro in Relig. historâ cap. 2.
ante finem magnus Acacius eduxit ex ere-
mo S. Iulianum: & cap. 4. in. Eusebium Am-
mianus: & cap. 2. ad id persuadendum, hac v-
sus est oratione Diuus Acacius, alloquens S.
Iulianum: Dic mihi, inquit, ô Pater, quamam de
causa totum hunc laborem tam libenter toleras?
Cum is autem respondisset: Et corpore & animâ vi-
taque, & omnibus quæ ad vitam pertinent, est
mihi Dei cultus pretiosior; conor autem quoad eius
à me fieri poterit, illi à sordè nudum offerre mi-
nisterium, & ei perpetuo placere. Ostendam tibi, in-
quit Acacius, rationem per quam ei plus quam nune
seruius: idque dicam non solâ viens ratiocinatio-
ne, ut qui ab eius doctrinâ didicerim. Cum enim Pe-
trum aliquando rogasset, an eum plus quam alij a-
maret, & didicisset id quod sciebat, vel ante Petri
vocem. Tu enim, inquit, nostri Domine, quia amo-
te, ostendit ei quid nam agens eum coleret. Si, inquit,
amas me, pascè oues meas, & pascè agnos meos. Hoc
quoque tibi, mi Pater, est faciendum, periculum en-
nim est, ne oues à lupis intereant, eas autem valde a-
mat, qui à te valde amatur. Est autem proprium a-
mantium illa facere, quæ cum sunt, eis qui amantur
grata sunt. Et alioqui non paruum est periculum mul-
torumque & magnorum illorum sudorum detrimen-
tum, si pati potueris negligere, tacite præterire, verita-
tem quidem grauitè oppugnari, eos autem qui ei ad-
herent captari, ad eos autem venandos. esse eam tui
nominis appellationem. Hoc cum primum audisset, se-
nex, quietem quidem valere ad tempus iubens, ne-
que ciuitatis strepitus quòd eis non esset assuetus re-
fugiens, accurrat Antiochiam. Alio modo Am-
mianus induxit Eusebium ad excedendum so-
litudine cap. 4. Dic mihi, inquit, ô optime, cuiam
placere existimans, laboriosam hanc sordidamque
& squalidam vitam es secutus? Cum autem, ut
par est, is vtrique dixisset: Deo; qui est virtus Lo-
gizator & Magister. Quoniam ergo eum amas,
inquit Ammianus, ego tibi modum ostendam, per
quem & amorem tuum magis accendas, & quem
amas, seruius. Nam quòd omnis tua caro & indu-
stria in te ipsum conuertatur, non effugiet, hoc se eis
crimen

crimen nimij in te ipsum amoris. Lex enim diuina iubet proximum amare vt te ipsum. Multos autem opum participes sumere, hoc est proprium veri muneris caritatis. Hanc autem D. Paulus appellauit legis plenitudinem Roman. 13. Rursus quoque clamat (Gal. 5.) Tota lex & Propheta in hoc sermone in summam rediguntur: nempe: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Porro autem Dominus quoque in sanctis Euangelis Petro qui confessus est eum amare plus aliis, precepit pascere oues suas (Ioan. 21.) Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens clamat per Prophetam (Ezech. 24.) *Va pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascebuntur? Et ideo magnum quoque Eliam, qui hanc vitam proferebatur, iussit versari in medio impiorum, & secundum Eliam tantoperè celebratam Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, transiit ad ripas Iordanis, illic baptizare iubens ac predicare. Quoniam ergo tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores: hoc enim est valde gratum communi Domino. Propter quod quoque Ezechielem appellauit speculatorem, & peccatoribus iussit testificari (Ezechiel. 3.) & Ionam iussit currere Ninium, & nolentem transiit in vinculis. Cum hæc diceret, & similia diuinum virum mansuescit, è voluntario illo effuso carcere eduxit & abduxit & suorum sodalium ei curam tradidit. Sic, vt scribit Theodoretus libr. 4. histor. cap. 16. Protogenes miraculis clarus, peccatorum magister, vt eos Christo lucrificaret, suum socium orationi solitaria semper vacantem ad animas iuuandas adducere conatus est, dicens: Orationem quidem rem esse præstantem, sed errantium salutem magis necessariam.*

345 Poltrâ similitudine huius zeli necessitatem, & motuum iuuandi animas, explicauit Valenti. Imperatori Aphraates interrogatus ab Imperatore (apud Theodoretum in Religiosa historia cap. 8.) *Quanam de causa vitam monasticam profitemens, securè per forum ingrederis, silentio & quiete relicta? ille autem, dic mihi, inquit Imperator, si essem virgo absconsa in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem iniicientem, quid mihi consulisses facere, videnti flammam ardentem, & domum qua comburitur: intrusisse sedere, & domum que crematur despiciere? Sed sic quoque ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis, oportere properare, aquam ferre, & susque deque currere, flammamque extinguere, ne me reprehendas, ô Imperator, si id ipsum feci. Quod enim tu consulueris Virgini qua est in thalamo, hoc ego cogor facere, qui vitam sum professus monasticam. Quod si tu me reprehendis, qui quietem reliquerim, te ipsum reprehende, qui hanc flammam in domum Domini miseris, & non me, qui conor extinguere. Quod enim oporteat openi ferre domui paterna qua vritur, ipse quoque confiteberis. Quod autem Deus magis sit verus & germanus Pater, quam ij qui*

Lancicy Opusc. Tom. 2.

sunt in terrâ, est cuius apertum, etiam qui rebus Diuinis non est initiatus. Nihil ergo absurdum facimus ô Imperator, neque capio nostro & instituto contrarium, si vera Religionis alumnos congregamus, & pacimus, & eis herbam diuinam exhibemus. His dictis Imperator tacite assentiebatur, considerans iustam defensionem. Si ergo Eremitæ è solitudine excesserunt ad iuuandas animas, magis nos decet id facere, dum iubemur, qui non ad solitudinem vt illi, sed ad auxilium animarum vocati sumus, tantquam ad finem vnum vocationis nostræ. Tantum zelo ardeamus, & virtutum, (sine quibus malè iuuantur animæ) & ipsarum animarum.

346 Merito igitur S. Chrysostomus hom. 3. in 1. Corinth. *Esti, inquit, immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam. Cur? Quia, vt idem ait hom. 2. & 40. in Genes. Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ, vt animarum salus. Et hom. 25. in 1. epist. ad Corinth. cap. 11. vers. 11. in illa verba Apostoli: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, Hec, inquit, perfecta charitatis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, querere que communis omnium comprehendant utilitatem, quod ipse Paulus significans addidit. Sicut & ego Christi. Nihil enim potest nos aded imitatores Christi facere, vt proximorum cura. Et orat. 5. cont. Iudæos: Quid huic poterit equiparari? quod neque ieiunium, neque humi peracta cubationes, neque perugilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratres procurata salus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccauerit, quam multa verba obscena protulerit, quam multa conuitia, quam multa maledicta eomuerit, & omnino suscipies collapsi curam. Nam hoc vno omnem illam debere maculam poteris. Et quid dico delere? facies, vt sit os tuum sicut os Dei. Quid huic honori possit equiparari? Non enim ego ista polliceor, ipse Deus hoc dixit: (Ierem. 15. 19.) Si vnum quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuum, purum sanctumque. Et in hom. 25. in 1. Corinth. Licet ieiunando, humi dormiendo corpus maceraueris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longè ab huiusmodi absueris imitatione. Propterea, inquit Paulus, per omnia omnibus placeo. Sive præter legem aliquid, siue laboriosum, siue periculosum facere oporteat, omnia in proximi morum utilitatem perpetior. Etenim nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur: quod ostendit, qui totum reddidit talentum, & supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur, mi frater, quamuis fame conficiaris, quamuis cinerem comedas, quamuis semper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. Et S. Dionysius cap. 3. de celesti hierarch. Omnium, ait, diuinorum diuinissimum est.*

est, cooperari in salutem animarum. Ideo Sancti Dei zelo pleni, & sui obliti, totos dies impendebant libenter animabus quærendis. Cùm S. Xaverius in Regno Bungi (vt scribit Orlan. l. 11. n. 119.) Regis curâ non intermissâ, multas quotidie horas in erudiendâ multitudine collocaret, & suas quoque Lusitanis imperiret; vnam ante lucem ad eorum animos expiandos, alteram sub noctem ad eos cohortandos & incendendos, atque ita diem totum per summâ sui corporis negligentiam distinebatur. Quærentibus domesticis & amicis, quod nimirum serò se lecto reciperet, respondebat; nihil esse quod sui rationem ducerent, cùm instaret hora conuiuij, aut se de die numerarent in viuis: si secus facerent, apud se grauius offensuros, suum cibum animarum esse salutem, & in summis se habere delicias, si Deo vel vnius Laponis animam lucrifaceret. Esca quippe iustorum, vt Gregorius Pontifex l. 31. moral. c. 22. rectè dixit, conuersio est peruerforum. Erga Deum verò est maximum indicium charitatis. Hinc Christus tanquam signum amoris in Petro præmisit eius dilectionem, cùm enim iuuantis animabus præficeret Ioan. 21. 15. Diligis me plus his? Palce oues meas: vti hunc locum hoc sensu ponderat S. Chryostomus orat. de B. Philogono. Valdè enim salutem animarum desiderat. Ideo S. Carpo dixit, vt scribit S. Dionysius ep. 8. ad Demophilum, se paratum rursus causa salutis hominum mortem perpeti, dummodò homines non peccent.

348. Hinc quoque dignitas animarum nostrarum apparet, quod Christus Dominus S. Brigittæ l. 1. Reuel. c. 1. dixit: Ego qui creauit te, nulli meo mēbro peperci ad supplicium pro te: & adhuc sic caritati- nē diligo animam tuam, vt antequam eā carerem, adhuc iterum, si possibile esset, pro eā crucifigerer. Quod non de solâ S. Brigittæ animâ intelligendum est, sed etiam de aliis. Nam l. 1. Reuel. c. 30. Christus Dominus ait: Adhuc ex charitate libenter iterum moreror pro homine si esset possibile. Plus adhuc dixit c. 59. o amici mei, sic tenerè diligo oues istas, quod si possibile esset, adhuc mori propter quamlibet ouem speciali morte, qualem in cruce semel pro omnibus passus sum, magis eas redimerem, quàm carere eis vellem. Et c. 58. dixerat, Ego si possibile esset, libenter pro vnoquoque homine talem poenam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi, ad hoc, vt ad promissam hereditatem redirent. Idem dixit l. 2. c. 12. Sed plus adhuc & significantius ait l. 7. c. 19. Si adhuc possibile esset, quod ego toties moreror, quor sunt animæ in inferno, ita, quod pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hac omnia cum libenti voluntate, & perfectissimâ caritate. Quod circa si tanto amore Deus hominum prosequitur animas, & ad eò cupit salutem earum, plurisque eas facit quàm vitam suam, omni conatu incumbendum est, ad eas in spiritu iuandas per conciones, per confessiones, per colloquia, & aliis modis. Ideo S. Catharina Senensis osculabatur vestigia concionatorum terræ impressa,

ed quod illi salutem animarum curarent, quodrum in gratiâ existentium dignitatem summâ, Deo reuelante, cognouerat. An non magna dignitas, esse Dei adiutorem: Hoc titulo insigniuit Apostolus se & sui similes, 1. Cor. 3. 9. Dei adiutores sumus. Deus enim incrementum dat, si verò, qui animabus attendunt, plantant & rigant, vt idem ait. Hanc titulum nulli alteri officio dari legimus in Scripturâ. Et S. Carolus l. 8. vitæ c. 10. fin. differendo cum Francisco Panigarota Fraciscano, de magno amore quo Episcopus debet prosequi suam Ecclesiam, hoc est, oues sibi commissas, ei dixit: Quando homo peruenit ad desiderium mortem subeundi pro illâ, adhuc multos alios gra dus ego inuenio magis ardentis amoris, ad quos necesse est eum ascendere & peruenire. Oportet enim, ait, Animarum conuersioni vacantem Episcopum plura perferre pro Deo, quàm sit, semel vitam pro illis profundere: labores enim & molestiæ in auxilio animarum acerbiores sunt, quàm semel capitis præcisionem per martyrium pati.

Tertia preparatio sit in viâ dum proficiscuntur ad Missionem: vt tempus illud quod in itinere consumunt, orando pro felici pificatione animarum assequendâ traducant, tum quia id omnibus itinera faciētibz Deus præscripsit, Deut. 6. 7. Verba quæ præcipio tibi, meditaberis sedes in domo tua, & ambulans in itinere. Et Proverb. 3. 6. In omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos, tum ob exemplum primorum nostrorum Patrum, qui sua itinera orando perpetuò peragebant, teste Orlandino l. 1. histo. num. 110. l. 2. n. 4. & Ribaden. l. 3. cap. 5. tum quia in Regulâ peregrinorum id præscriptum nobis est: Vt studeamus frequenti oratione comitem itineris nobis Christum saceretum quia in Regulâ 14. Missionem dicitur: Esti humana media spernenda non sint, sed etiam cùm opus est prudenter & religiose adhibenda, diuini tamen & nostri instituti magis propriis præcipue vtendum est, in eis, fidendum magis, orandusq; Deus, vt iis omnibus det efficaciam, quæ sui proposito fini consequendo necessaria: tum quia etiam in instructione 13. pro Directione Superiorum editâ autoritate 7. Congregationis pag. 70. n. 2. dicitur: Vt procuretur in Missionibus iuxta vniocum Deo, à quâ pendet omnis actionum nostrarum recta institutio & efficacia. Nam, vt bene dixit S. Chryost. ser. 27. de profectu Euangelij: Poterimus alios corrigere, si ad preces semper confugiamus, & oremus Deum, vt det sermonem sapientiæ & intellectum auditus, certamq; & inde probabilem huius depositi custodiam. Sape enim contingit, vt quæ studio nostro corrigere non possumus, ea per preces efficiere valeamus, per preces, inquam, perpetuas. Ideo ponderat B. Laurentius Iustinianus de compunctione & compunctu Christiana perfectionis, antequam Apostoli irent ad prædicandum, iustos fuisse in ciuitate sedere & orare, donec induerentur virtute ex alto, per Spiritum sanctum in eos in

igne & linguis demissum quia uti ad aliorum negotiorum felicem successum obtinendum, præmittenda est oratio; ita multo magis ad conversionem animarum. Est enim opus hoc difficillimum, & non pendet ab humanis medijs ita, ut à diuino auxilio; quia maius opus est, quam miraculorum patratio: uti docent S. Athanasius de hum. Verbi S. August. lib. 22. ciu. 67. & serm. 44. de verbis Domini, S. Chrysoft. hom. quod Christus sit Dominus S. Gregorius 13. dial. c. 17. & hom. 29. in Ascensione Domini, S. Bernardus in vitâ S. Malachie Et maius quid est, quam mundi creatio, inquit S. August. tract. 27. in Ioan. vel 72. Ideo precibus ardentibus impetranda sunt necessaria auxilia ad conversionem animarum. Quam ob causam duodecim Apostoli conversioni animarum intenti, conuocata multitudine fidelium dixerunt Act. 6. *Nisi oratione & ministerio verbi Dei instantes erimus.* Præsertim orationis meminerunt, quam prædicationis, quia illa huic præmittenda est, ut à Spiritu Sancto impetrent, & sibi gratiam conuertendi alios, & illis quorum conversioni attendent, ut eorum monitis & consilijs obediant, Quia ut docet S. Augustinus libr. 4. de doctrinâ Christianâ cap. 15. *Nisi Spiritus S. eorum corda accendat, linguamque imbuat & regat, ut eo modo dicat, quod auditori congruat ad feriendum eorum corda, nihil efficient.* Non debemus putare, inquit S. Basilus in moralibus reg. 70. c. 34. *posse nos consilijs nostris illud assequi, ut prosperè prædicatio nostra succedat, sed contra, huius rei spes omnino nobis collocanda est in auxilio Dei.* Itaque ut in Missionibus cum fructu versemur, petenda sunt nobis ante initium, & sæpè postea, Spiritus S. auxilia, fernidâ oratione. In quâ iudicio S. Bernardi plus situm est, quam in alijs medijs. Nam, ut scribit epist. 201. *Nunc manent tria, verbum, exemplum, oratio: maior autem horum oratio: ea namq. operi & voci gratiam & efficaciam promeretur.* Idem fuit S. Augustini iudicium loco supra citato: *Munus suum ut præstet, magis pietate opus est orationum, quam oratoris facultate: ut orando pro se, & pro illis quos est allocutus, sit orator antequam dicat.* Et hac ratione Deus Doctorem gentium S. Paulum ante Missiones Apostolicas instruxit & preparauit, uti ponderat S. Maximus hom. 1. de SS. Petro & Paulo: *Paulus, inquit, plura humana rapuit in certum calum, secreta caelestia cognouit, ut Ecclesiam futurus Doctorem inter Angelos diceret, quæ inter homines prædicaret.* Contigisse enim hanc raptum Pauli anno Christi Domini 44. quando cum Barnaba Apostolatu initiatus est iussu Spiritus Sancti Act. 13. & ad prædicandum ubique Euangelium destinatus, optinè probat Baronius in Annalibus: *Cum enim, inquit, ipsomet ad Corinthios secundò scribens, contigisse dicat hunc raptum, annis 14. antequam illam epistolam scriberet, eamq. scriptam consilet anno Domini 58. Neronis seueritatis, ex bis satis exploratum habetur, hoc ipso anno*

Christi quadragesimo quarto, Claudij secundo, Paulum tum miris esse à Deo auctum muneribus; quibus eum corroborari voluit, antequam tanti ponderis munus obiret. Hac Baronius Anno Christi 44.

In hunc sensum B. Laurentius Iustinianus l. de compunctione & complacitu Christianæ perfectionis col. 22. *Abque gratia admiculo quis presumere audeat posse facere quicquam, dicente Domino: (Ioan. 15.) Sine me nihil potestis facere. Nam quamuis homo, a se, de se, aliquid boni valeret, nil omnino valet in altero; quoniam libero quisque vtens arbitrio, sua potestatis est assensum suadenti præbere. An non verba possumus veluti semina iactare, annunciare futuram felicitatem, & aeterna supplicia? Minime tamen corda compungere, animum flectere, interiore auditum aperire affectum promouere, gratiam infundere. Hac solus Dei sunt, per consensum audientis & recipientis. Quemadmodum imber de celo cadens terram inebriat, & eam germinare facit, ac dare semen ferenti & panem ad manducandum; sic & gratia caelestis cum in humanum labitur, corrigit illud deuotio- nis dulcedine, madefacit compunctionis rore, & per sancta desideria virtutum atque honorum operum, fecunditatem producit ad publicum, quatenus intuentes agnoscant, non ex instructuosa arbore, sed de latente diuina benedictionis radice, vniuersa laudabilia gesta prodire. Prorsus humanus inutilis est arboris truncus si non intrinsecus gratia Dei operetur.*

Sed & in ipsa functione Apostolici muneris, perpetua coram Deo animarum adiuuandarum memoria retinenda est: Hinc Apostolus Rom. 1. scribit: *Testis est mihi Deus, cui seruo in spiritu meo in Euangelio Filij eius quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Quod ponderans S. Chrysoft. hom. 2. in epist. Rom. *Ostendit, inquit, huius commodi curam sibi esse necessariam, siquidem seruitutis modus hic, nempe Euangelij annunciatio, ipsi erat commissus. Cui enim huiusmodi functio delegata fuerit, huic necessarium est perpetuâ eos cogitatione circumferre, qui verbum ipsum excepturi fuerint.* Sic & Christus, electurus duodecim Apostolos, totam noctem tradidit in oratione Dei Luc. 6. 12. 13. Cuius orationis causam etiam hanc fuisse ait S. Ambrosius ser. 20. in Psal. 118. vers. 4. *Ut qualis esse aduocatus debeat, demonstraret: qualis Sacerdos, ut non solùm diebus sed & noctibus, pro grege Christi debeat precator asistere.* Idem B. Maria Magdalena de Pazzis plena zelo animarum, valde commendabat suis Manibus, ut ardentè orarent pro salute animarum & conversione peccatorum: & hoc exercitium dicebat valde Deo gratum, nec hoc tantum, sed etiam propria saluti proficuum: uti scribitur in eius vita à Puccino 4. par. c. 33. *Qui zelus magis in illâ crenit, postquam S. P. Ignatius ad eam à B. Virgine missus, sermonem suum, quem de humilitate ad eam habuit, sic conclusit: ut scribitur in eadem vitâ 2. par. c. 12. Quemadmodum Verbum Incarnatum constituit Apostolos piscatores hominum, ita constituit suas sponsas, ut faciant prædam animarum. Quod illæ non*

nisi per preces pro aliis, & per exempla etiam pro suis sororibus præstant. Hæc fuit causa, ob quam S. Teresa sua Monasteria eius monialibus etiam fundavit, ut quemadmodum ipsa scribit in itinere per se. Et. I. Cum tam multi sint qui Deum variis modis offendunt. Moniales sue pro illorum conversione orant, nec non assidue pro defensoribus Ecclesie, pro Concionatoribus aliisque, utriusque ipsam propugnantibus. Ipsa verò, ut scribit Didacus Iephus in eius vita lib. 3. c. 25. noctes integras consumebat orando & sondo pro conversione animarum, præsertim hæresi infectarum. & dedisset mille vitas, si posset tantum unam animam convertere. & in 40. annis quos exegit in exercitio orationis, nil magis à Deo petebat, quam dilatationem divinæ gloriæ, & S. Ecclesie augmentum, nec curabat diutius herere in purgatorio, dummodò Deus magis cognosceretur ab hominibus & amaretur. Sed de hac re iterum sermo recurret.

358.

CAPVT TERTIVM.

Quid primum in loco Missionum faciendum.

359.

Postquam autem ad locum destinatum pervenerit, invocato prius Angelo tutelari illius loci, & Angelis custodibus singulorum, statim templum adeant, & sua omnia Deo commendent, & animas quibus sunt servituti; ut præscriptum est in instructione 13. nu. 3. pag. 70. & faciebat P. Petrus Faber. Et eadem occasione salutandus est Prælati vel Parochus, si adest, humiliter & humaniter, exemplo S. Xaverij, qui teste Turfellino in eius vita l. 6. c. 8. Divinum Numen in Episcopis & eorum Vicariis venerans ex eorum auctoritate sua munia obire gestebat, eisdemque prorsus omnibus in rebus, dicto audiens erat. Idem ceteris de Societate facere iubeat: à nostris hominibus obedientie in Præpositos Ecclesiasticos prodendum exemplum dicitans: ut non conciones haberent ad populum, non Societatis munera obirent, nisi facta ab Episcopo aut Vicario potestate: neque committerent, ut Præpositi Ecclesiastici talibus ministeris iure offenderentur: neque unquam ab illis, quamvis iusta causa oblata sese abalienarent. Quod si quando secus accidisset, sanè graviter ferebat. Itaque cum duo Vicarij de Patribus duobus qui apud eos erant, conquesti essent per literas, protinus ad illos scripsit, ut exemplo Vicarios adirent, & dexteram eorum suppliciter exosculati, peterent veniam: atque in posterum summam observantis significat ionem præferentes, singulis hebdomadis ad eos irent salutandi gratiâ. Talem verò tantamque modestiam ac submissionem necessariam esse dicebat, cum ad diabolum superbie caput debellandum, tum verò ad Ecclesie Præpositos insigni obsequio promerendos, ut illis secundis ac propius Christiana res melius gereretur. Idem inter monita scripta pro nostris Indiæ cultoribus, hoc quoque reliquit apud Turfellinum l. 6.

360.

c. 12. Adversus Episcopi Vicarium egregiam semper adhibebit reverentiam obedientiamque. Quocirca simul atque oppidum, ubi is versatur attingeris, protinus eius gembus aduolutus, de more osculaberis manum. Indesperes ut tibi potestatem faciat concionandi, audiendi confessiones, ceteraque pietatis munera obeundi. Nec unquam te ab eo quantacumque offensio alienabit, sed accendet potius ad illius peccatis omni comitatu genere permulcendum, ut is aliquando piis meditationibus exultet, & commodior fiat & melior. Caterorum quoque sacerdotum gratia captanda, tuendaque, quò impensus ipsi quoque ad salutare meditationes illas pelliciantur. Hoc ipsum quoad Ecclesiasticos, præferbitur à Reg. 7. Missionum, & in instructione 13. num. 2. pag. 70. Offensis ei (scilicet Parocho) patentibus, & omnem benevolentiam ei exhibendo, & cauendo ne vel minimo indicio dent suspensionem, quasi ad eum visitandum veniant, & nominatum quòd Clero in omnibus probari & satisfacere studeant, opera nostra ei offerenda, & petendum, ut cum eius bonâ gratiâ nobis liceat eum iuvare, in tradendâ doctrinâ Christianâ, confessionibus audiendis, procurandis pacificationibus, cum protestatione, nullas nos elemosynas ad illum spectantes prensuros, sed sine vllâ eius & aliorum remuneratione, nostra ministraturos gratis spiritualia munia, Deo solo remuneratore fore contentos. Hanc etiam ob causam S. P. N. Ignatius volebat, nos nostris uti privilegij inuitis Prælati: atque enim Privilegiorum præfida, tum denum in animorum causa perutiliter adhiberi, cum ad eos ita iuvandos voluntas proximi Pastoris accederet: cumque eâ de causâ ab Apostolicâ Sede Privilegia tribuantur, ut ed facilius animis consulatur, nisi ex eorum usu, hæc ad ammos detrueatur utilitas, immò potius retardetur, quo Pastores non consentiant, satis esse ea omnino non adhibere, quam contra eorum naturam adhibendâ: sua spe ac labore frustrari. Et cum Anno 1554. Robertus Croius Antistes Cameracensis per litteras suis Ministris edixisset, ne quinquam de Societate permitterent in sua Diocesi concionem aduocare; quod si quem eiusmodi nacti essent, carcere coercerent, S. Ignatius nihil hac re commotus, & interpretans exordiorum moras in successus felicioris indicium, satis habuit commendatitias literas à Cardinale Carpeni mitti ad Apostolicum Nuncium agentem cum Imperatore Bruxellis. Interimque suos (ut semper in eiusmodi causis solebat) admonet, quam modestissime sese gerant, ne quid asperius in Episcopum, unde magis irriterent, efficiant, neque sua iura contra eius edicta, per Apostolicas literas, quod eis proclive erat, prolata defendant. Id etiam monet ibidem S. Xaverius: Oppidorum quoque Præfatis dicto audiens eris, omnique obsequio. Et quoad eius fieri potest familiaritate, eorum tibi devincias animos, neque vllâ de causâ, quamvis iustâ, in eorum offensionem ordiumque incurres. Si quid sceleris admiserit quispiam illorum, primum opportuno sermone illato, amice commiterque ei ostendes, magnum te capere dolorem ex infamia, que eius nomen dignitatemque sedant, tum patri comitate ac submissione, ita expones rumores de illo vulgatos, ut peccatum suum per se, & agnoscat & corrigat.

361.

362.

363.

vigat. Id autem tum fieri oportet, cum spes latum pro-

Deinde exemplo P. Paschasij Broët vnus è primis S.P.N. Ignacij sociis, viscatio templo, & loci Pregato seu Parocho, in hospitio, seu diuersorio, in quo manere volunt vel debent, deuotè Horas Canonicas, etiam ad aliorum exemplum, non ad vanam deuotionis ostentationem, recitent. De P. Paschasio sic scribit Sacchinus 2. p. lib. Soc. l. 6. n. 96. Cum ad diuersoria perueniret, in sacrum aliquem locum se abdere solebat, ac flexis genibus aperto capite sacerdotale officium, ante omnia excepit tantà contentione & caritate, vt vultus ipse ardere videretur. Imò, vt legi in quodam scripto Romani Archiepiscopi ex Gallia Romà ad P. Claudium Generalem misso, instar camini ignem suppositum habentis, caput Paschasij orantis vehementer fumabat. Ita mentis ardor inflammabat corpus sacro incendio deuotionis. Qui ardor et si nobis desit, non desit in orando reuerentia & attentio. Decet enim primordium nostræ apud externos commorationis à Dei cultu inchoare. Si enim Ethnici omnia inchoabant ab inuocatione sanctorum Deorum, vide illud Poëtæ Ecloga 3. acceptum ab Arato in Phœnom. & Theocrito in Ptol. Idyl. 17. A Ioue principium Musæ; multò magis studia eripiendam è diaboli faucibus animarum, ab inuocatione Ecclesiasticâ diuini auxilij, & laudatione Canonici Diuinæ Maiestatis inchoanda est. Vt quemadmodum orat Ecclesia, Cuncta nostra operatio à Deo semper incipiat, & per eum cepta finiatur.

Post peracta à nostris hospitibus Diuina, solent Patres famulas, apud quos manere volumus, si tempus pomeridianum sit, collationem seu merendam offerre, quæ omnino modestè detrectanda est, si ante meridiem alibi pransi sunt: & in posterum hæc obseruanda.

CAPVT QVARTVM

De ratione viuendi in locis & domicilijs Missionum.

Primo, in cenâ & prandio, iuxta Regulam 9. peregrinorum, sobrietatis & modestie in conuersatione habenda ratio. Hanc ob causam S. Dominicus, vt scribit in eius vitâ insigni Ferdinandus de Castilo i. p. Histor. Ord. Prædic. dum sibi in itinere arderet (pedes enim faciebat itinera, suâ balians cappam, nec vlli volenti eum subleuare ab onere, eam gestare permittens) antequam intraret ciuitatem vel oppidum, aquæ potum sibi extinguebat, ne si à secularibus cerneretur in diuersorijs copiosius a quam bibere, scandalizarentur, vt sunt ad talia procliuēs.

Est etiam admirabile huius inter comedendum modestie & parsimonie ac sobrietatis exemplum, annotatum ab oculato teste P. Ludouico Consaluo in Diario pag. 9. in S.P.N. Ignatio, qui traxit ad Societatem nostram primarios Patres Natalem, Madridum & multos alios, sine alius persuasombus, tantum eo modo, quem tenebat ad mensam in comedendo & loquendo.

Vtantur ergo Missionarij etiam occasione conuiuiorum cum secularibus, quæ declinare non poterunt: (si eis non sint à superioribus prohibita sed concessa) religiosè enim eâ peragendo, multos ad pietatis studia allicient, & quandoque à vitâ malâ vel ab hæresi, ad piam, & ad fidem conuertent. Sensim enim modestie & humanitatis exemplis nostris, primò afficientur nobis, deinde ad probitatem vitæ & fidem attrahentur, vt semper nostri experti sunt & experiuntur in Polonia Regno. Idèò P. Iacobus Laynez secundus Præpositus Generalis Societatis nostræ, & vnus ex dilectis S. Ignacij sociis, reprehendit per litteras anno 1560. in Hispaniâ missas P. Bustamantium Prouincialem, quod prohibuisset nostris conuiuia cum alijs, præterquam cum Episcopis & Religiosis, & addidit: Hoc esse in Societate nouum, ex quo multa occasio nes diuini seruitij perdi possent. Apparuit hoc euidenter in nostro S. Francisco Xaucto, qui prandens apud exteros secularis in ædibus eorum, multas hac occasione concubinas ab ijs expulit, suauiter & hilari modo suadens, vt vnâ formosiorerem, pulsus reliquis retineret, & matrimonium cum eâ intreret, vt scribit Turfelinus in eius vita l. 6. c. 10.

Extat huius rei antiquius exemplum apud Rosveydum nostrum pag. 522. numer. 151. ex lib. 3. num. 151. Vitarum SS. Patrum à Rufino collectarum, Abbas, inquit, Paphnutius, non gustabat vinum aliquando. Semel autem ambulans deuenit super latrones: & cum in via eos inuenisset bibentes cognitus est à Principe latronum, qui sciebat eum quiddam vinum non biberet: sed videns quia ex labore itineris fatigatus esset, impleuit calicem grandem vino, & gladium tenens in manu suâ, dixit seni: Nisi biberis hunc calicem, occidam te. Cognoscens senex, quia ex mandato Dei vult facere, volens eum lucrari, tulit & bibit. Princeps autem latronum cepit ei dicere. Indulge mihi Abba, quoniam tribulaui te. Cui senex ait, Confido in Deum meum, quia propter vnum calicem vini faciet tecum misericordiam, & in presenti seculo & in futuro. Dicit ei Princeps latronum: Et ego confido in Deo, quia ab hodie nemini malefacio. Et sic lucratus est senex omne Collegium latronum.

Sic etiam S.P.N. Ignatius teste Maffeo lib. 1. cap. 8. Non solum venientes ad se benigno excipiebat alloquio, sed etiam inuitatus interdum ab alijs ad prandium, minime recusabat accedere, mirum eo consilio, vt ex re, & ex tempore, sumptâ occasione, qui se in Dei gratiam terrestri pauissent cibo, eosdem ipse vicissim spiritua-

367.

368.

369.

spiritualibus epulis, & opportuna quadam adhortatione reficeret. Atque in hunc se modum adiuvante Domino per multos ad arctam salutis semitam à viâ latâ & spatiofa traduxit. Christum enim Dominum etiam in hoc imitari voluit, qui vt ait S. Hieronymus l. i. in c. 9. Matth. *ibat ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuicatoribus suis praberet cibos,*

370. Verumtamen hac in parte ratio habenda est moniti à S. Xaueio nostris in Indiâ conuersioni aliorum attendentibus dati; quod recenlet Turfellinus in eius vitâ lib. 6. cap. 12. *Si quando te in peccatorum herentes cans, ad cœnam aut prandium inuicent, domisue colant, videas, ne tua libertas delinatur muneribus, quò minus acriter peccantes admoneat. Itaque ad prandium inuitatus, non recusabis tu quidem, sed inuicem illos ad sacram inuitabis confessionem. Quòd si animaduertes, te nihil omnino proficere, & prorsus ludere operam, seuerè denunciabis, nisi respiciant, illis iam te amicitiam & consuetudinem renunciare. Neque ego cùm quidquam accipi veto, parua ac rara munuscula intelligo, qualia sunt panna, & alia eiusmodi, qua remissa grauius offendant eos, qui miserunt, sed dona magna & pretiosa, qua si accipias, capiaris.*

371. Nam, vt idem ibidem aiebat, *Qui alienas res accipit, libertatem amittit suam: quippe cum beneficentia necessitatem imponat obsequendi beneficio, ereptâq; beneficio libertas addè seruiat, vt etiam si quid audeat, eius verba longè minus habeant ponderis, quàm haberent si sui iuris esset. Adde huc, quòd si quid ab illo qui dedit, peccatum sit, liberè increpare haud quaquam valeas. Quòd enim os tantum est, vt sustineat, allatrare pascentem.*

372. Pergit idem S. Xaueius ibidem: *Si quando magna viâ missa fuerit cibarium, ea valetudinario, carceri, ceterisq; egentibus diuidentur: vt omnes intelligant, istarum etiam rerum maximam partem disperteri pauperibus, tibi vix minimam quandam particulam reservari. Hec benignitas plus ad exemplum obedientia valebit, quàm talium recusatio munerum: cum praesertim qui ea mittunt, sibi ducant dedecori, domum remitti que miserint.*

373. In Conuiuio autem cauendus excessus. Sæculares enim, vt monet S. Basilius, criminantur quandoque etiam si necessario cibo Religiosi vtantur. Veluti, inquit in Constitut. Monast. c. 7. *Si omnino corporis ac materia expertus esset, aut nullum prorsus, aut quàm minimum cibum assumere illum voluit. Et si ex huiusmodi disciplina quæpiam animaduertierint, qui non vsquequaque inclementer corpus traheret, ac vel tantillum illius necessitati subueniat, hunc eonicis calumniis que proscindunt, deriuatâque ab vno in cunctos proteruâ petulantiaque vniverfos pariter lurcones belluonesque appellat.*

374. Quocirca, ne maleuoli etiam occasionem suâ culpâ arripiant calumniandi Missionarios, valde oculati sint, ne ex factis & verbis eorû quicquam malignè possint contra eos fingere. Et tunc vel maximè seruent illud S. Ioannis Clima-

maci monitum gr. 26. *Monachi lux, Angeli sunt, cunctorum autem mortalium lux, monastica est disciplina. Certent ergo summopere per omnia fieri omnibus optima forma: neque vllam cuique dent offensionem. Nam ex his qua gerunt, viuendi normam omnibus proponunt,*

Quòd si separatam mensam soli habebunt Missionarii, præclara hac de re est facta Ordinatio pro nostris à sapientissimo & memoriâ æternâ digno, P. Claudio Nostro Generali, cap. i. Ordin. Gener. num. 18. pag. 17. Romanæ editionis, quam solam cito. *Externos ad mensam nūquam inuicent. Quare & forte ne plus temporis consumant comedendo cum hospite, tum ne hospitem tractando humaniter sint occasio excessus in cibo. Nam vt ait S. Vincentius tractat. de vitâ spiritual. c. 8. *Ad gula dominium, pauci pertingunt, qui non excedant vel plus vel minus edendo. vel debitas circumstantias non seruando. Hinc S. Augustinus exclamauit l. 10. Confess. c. 31. *Quis est Dominus, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? quisquis est, magnus est. magnificet nomen tuum: Ego autem non sum, quia homo peccator sum. Iddè sancti ante omnia vitia, primo loco vitium gulæ extirpandum esse docent. Contra gulam, inquit Cassianus l. 5. Inst. c. 11. *nobis primus confictus est. Cur? Respondet statim: *Nunquam poterit ardens concupiscentia stimulos inhibere, quisquis desideria gula refrenare nequirit. Interioris hominis castitas, virtutis huius consummatione discernitur. Quocirca & propter exemplum præbendum aliis, & ne atgeamus materiam tentationum periculosa, præcipue tempore Missionum, magnâ frugalitate opus est, & declinandâ occasione copiosioris cibi & potus, etiam extra tempora prandij & cœnæ moderatæ.*****

Secundò, talis sit nostra, in domo quam incolemus, viuendi ratio, vt exemplum nostrum omnes ædificet, & relinquat pulchrum virtutis & sanctimonie odorem; vt à nostris primis Patribus relinquebatur. Simus, inquit Basilius in Moral. Reg. 80. c. 5. *tantum templum Dei, sanctis & mundi, & is repleti solam, que ad Dei cultum pertineant. Et c. 6. *Tantum victimam immaculatam, omnibusque suis membris ac partibus absoluta, vera in Deû pietatis integritatem conseruans. Et cap. 8. *tantum lux in mundo, vt & ipsi videlicet puri sint ab omni vitio, & eos qui ad ipsos accedunt, illuminent ad agnitionem veritatis. Et, vt idem ait c. 12. *Sint tanquam forma & regula pietatis, vt per eos ad rectitudinem omnem dirigantur illi, qui Dominum sequuntur. Idè monet S. Cyprianus l. de vnitatē Ecclesiæ: *quasi Dei templum conuerseretur, vt Deum in nobis constet habitare.*****

Hanc ob causam S. Xaueius teste Turfellino l. 6. c. vlti. *Socios Eihnicis conuertendis, Neophytisque erudiendis operam daturus, lectissimos & primarios præficebat: auctoritatem sequens Apostolorum, qui cum audissent recepisse Samaritanum Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. (Act. 18.) Apostolorum*

viam Principes. Quocirca censebat ad Apostolorum mun-
 deri delictos viros egregia diuque spectat a fide, vir-
 tute, constantia, sanctitate. Et in Dominica vinea ope-
 rariis prudentiam magis ac sanctitatem, quam scien-
 tiam doctrinamq. expebat. Dicebat etiam, quod boni
 virtus non pariat, humanas artes, haud quamquam pa-
 ritur sine virtute. Non mirum: Bene enim ait
 Clemens Alexandrinus l. 5. Stromat. ex Platone
 in Coniuiuo: Omnis doctrina generatio quadam est,
 ut quemadmodum non generantur homines nisi in per-
 fectione aetatis, & virum; ita neque filios spirituales,
 nisi a perfectione virtutum progigni.

378. Hoc ipsum docuerat S. Catharinam Senen.
 Deus Patet cap. 2. 4. dialog. Veri cultores, valde bene
 colentes animas aliorum, extirpantes ab eis omnem a-
 morem proprium, nutriunt & augmentant in se gra-
 tia semen, quod in sancto baptismo receperunt. Et ita
 bene propriam vineam excolentes, etiam illam proximi
 sui bene colunt, quia non potest bene colis vna sine alte-
 ra. Cuius rei triplex erit utilitas.

379. Prima in populum illum manabit. Hac enim
 ratione facilius conuertentur. Nam, vt ait S.
 Chrysolomus hom. 15. in Matth. & hom. 13. in
 Genes. & similia habet hom. 72. ad pop. Omnia tu-
 ha documenta operum clariora esse, vitamq. mandam,
 ipsa luce clariorem. Et, multo, inquit, fidelior & certior
 doctrina operum, quam sermonum. Nam qui talis est,
 etiam silens, & eunt non videtur, docere potest, & alios
 quidem qui illum vident, alios vero qui de illo audiunt,
 & multa fruatur Dei gratia, non solum propter se, sed
 & propter alios, qui illum vident, & incitantur vt glo-
 rificent Dominum. Talis, per mille linguas & multo
 plures gratias referet & laudes Deo. Neque enim notis
 soli, testes sunt vite illius, & ipsum mirantur. ac ipsum
 Dominum, sed & qui non cognoscunt, & ab aliis dis-
 cunt, & qui valde procul habitant, & non amici so-
 lum, sed & inimici reuerentur virtutis eminenti-
 am.

376. Hoc bene sciens Sapientia increata, suos, vt
 ita dicam, Missionarios instruens hoc ipsum eis
 monitum dedit Matth. 5. Sic luceat lux vestra
 coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &
 glorificent Patrem vestrum. Hos ita describit S.
 Bernardus lib. 2. de consid. c. 4. Qui sint in iudicio
 recti in consilio prouidi in iubendo discreti, in agendo
 strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in
 prosperitate deuoti, in zelo sobrii, in misericordia non
 remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in
 conuiuio non effusi, vbique & in omnibus circumspecti.
 Quocirca S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Ie-
 sus, inquit, Discipulis suis, ad predicationem eos mit-
 tens, prescribit, vt virtute tales sint, atque ita expediti,
 ac modesti, & vt vno verbo dicam, caelestes, vt non mi-
 nis ob eorum vitam & mores, quam ob sermonem at-
 que doctrinam, Euangelium currat. Debemus pensare,
 inquit alter Gregorius Papa hom. 17. in Lucam,
 quod a Domino sanctis dicitur Apostolis & per Apo-
 stolos nobis: vos estis sal terra. Si igitur sal sumus, con-
 durre mentes fidelium debemus, vt quisquis Sacerdote
 tangatur, quasi a salis tactu, aeterna vita sapore condia-

tur. Hoc autem vita exemplaris praestat, cum re-
 clo sermone coniuncta. Externa dignitates, in-
 quit S. Chrysol. hom. 23. ad pop. merito ex signis
 extrinsecus circumpositis manifeste sunt, nostras au-
 tem ab anima notas esse decet. Fidelem enim non ex
 solo munere videri oportet, verum ex vita nouitate. Fi-
 delem, mundi luminare, & solem esse congruum est; &
 ex omnibus partibus manifestum esse, ex incessu, ex as-
 pectu, ex habitu, ex voce. Hoc autem dixi, non vt ad o-
 stentationem, sed ad videntium utilitatem nos ipsos
 disponamus. Si hoc a quouis fidelis exigit S. Chry-
 solomus, quanto magis a Sacerdotibus, qui
 sunt missi ad auxilia & lucra animarum: Cum, vt
 S. Gregorius Papa ait, tantum debeat actionem po-
 puli actio transcendere Presulis, quantum distare solet
 a grege, vita pastoris. Qui alios ad virtutem erudire
 parat, inquit S. Nazianz. orat. 1. non hoc solum re-
 quiritur, vt malus non sit, verum etiam vt virtute pra-
 steat: ita vt magis virtute antecellat, quam honore (Sa-
 cerdotij) & dignitate superet: nec modum sibi vltimum
 honeste viuendi atque alius ascendendi constituat. Et,
 priuati quidem hominis vitium existimet, turpia sup-
 plicioq. digna patrare: Praefecti autem vel Antistiti,
 non quod optimum esse, nec nouas subinde virtutum
 occasiones facere. Si quidem virtutis suae praestantia
 multitudinem ad mediocritatem tracturus sit, & per-
 suasione alleciturus. Verissimum enim est illud S.
 Valeriani Episcopi hom. 17. de bono martyrij:
 Cito sedet animus, quod docetur exemplis. Quia, vt ait
 Seneca epist. 6. Semper amplius credunt homines o-
 culis, quam auribus: id est, exemplis, quam verbis.
 Quanquam & ipsa exempla, verba quaedam
 sunt, & edunt vocem quae auditur. Ideo S. Hiero-
 nyim. l. 2. contra Iouinianum dicebat: Licet tace-
 mus sermone, habitu loquamur & gestu. Hinc bene
 noster P. Faber, teste Conualuo in Diario S. P.
 Ignatij pag. 354. Verba diuidebat, in verba verborum,
 verba cogitationum, & verba factorum; per quae intel-
 ligebat, exempla: Nam & haec, instar verborum,
 imo melius docent. Sic S. Ignatius Martyr. epist.
 14. ad Ephes. Qui profitentur se Christi esse, non modo
 ex his quae dicunt, sed & ex his quae faciunt cognoscantur.
 Ex fructu enim arbor dignoscitur. Praestat enim esse,
 & tacere, quam loqui & non esse. Non in sermone
 Regnum Dei, sed in virtute. Bonum est docere, si quis
 dicit, idem faciat. Qui namq. fecerit & docuerit, hic
 magnus in regno caelorum.

385. Hinc Christus Dominus tradidit inter qua-
 tuor modos S. Teresiae, per quos eius Ordo esse
 set conseruandus (vii scripsit ipsamet in fine vi-
 tae suae, & id propria manu, ad perpetuam rei
 memoriam subscripsit) vt magis docerent operibus,
 quam verbis. Ideo merito hoc commendat Cle-
 ricis Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. de re-
 form. Nihil, inquit, est quod alios magis ad pietatem
 & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita &
 exemplum, qui se Diuino ministerio dedicarunt. Cum
 enim a rebus seculi in altiore sublati locum consubi-
 ciantur, in eos, tanquam in speculum reliqui oculos
 coniciunt, ex hisque sumunt quod imitentur. Quapro-
 pter

per sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresq; suos omnes componere, vt habitu, incessu, gestu, sermone alijsq; omnibus rebus nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum praeferant: Leuita etiam delicta, qua in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Quae de re praecleara reliquit monita S. Carolus l. 4. Epitomes Institutionum ad Oblatos S. Ambrosij pertinentium Idibus Septembris ann. 381. Haec illis monita dedit impressa Mediolani dum viveret anno 1581.

Principio, inquit, quemadmodum periti agricola, nihil in vite relinquunt, quod vel vuarum ortum impedire, vel progressum renouari, vel maturitati officere posse censent, sed illud omne amputant circumciduntq; sic muneris sui obseruantes adesse debent. Oblati, vt quae a diuini nominis propagatione atque animarum salute aliena sunt, reiciant prorsus aboleantq;. Quare illud imprimis curent diligenter, ne vlla in cultu ostentatio, et naturae nulla in sermone petulantia, nulla in moribus dissolutio, nulla in vita turpitudine. Illud demique referre ad dignitatem clericalem conseruandam meminissent, omni loco, omni tempore de rebus spiritualibus sermonem saepe inferre, quod vt copiosius faciliusq; praesentent, animum diuinarum rerum assidua commentatione pascant, memoriamque sacrarum historiarum commemorazione exercent.

Et quocumque tandem missi fuerint, vultu ibi, incessu, gestu, verbu, omni denique corporis atque animi moderatione eam viuendi normam praeferant, ac seruēt, quam & Institutum Congregationis, & Ecclesiastici Ordinis ratio, & exemplum, quod omnibus optimum praebere debent, ad quos mittuntur, ab eis omnino exposculant. Sciant autem se muneris sui partes eō melius executores esse, quō plus probata vita exemplo ceteris hominibus praestiterint. Meminerint verō etiam magnum referre ad hominum salutem, Ecclesiae Sacramento- rum administrationem summā cum dignitate tracta- ram. Cū enim animus noster rerum sensibus subiecta- rum aspectu primū moueatur, ex his autem ad eorum quos sensus effugiunt, supernatur. aliaque dicuntur, con- siderationem & amorem homines excitentur, ac tra- ducantur, nihil omnino ab illis debet praetermitti eor- um, qua ad res sacras cum dignitate atque amplitu- dine extrinsecus etiam tractandas administrandasque spectant.

Vt autem Sanctus Apostolus in huiusmodi Missionis genere vnusquisque Oblatorum magis ac magis pro sua virili similitudo fiat, quō sub oculis hominum viliora diffi- ciliaque factu erunt ea, ad qua obeunda missi fue- rint, ac denique, quō plus pro animarum salute & Dei gloria pati illos oportuerit, eō alacriori fidentiorique animo iniunctam missionem amplectantur exequan- turque.

Ceteram, vt piē & laudabiliter se gerant, misio- nisque munus cum opus erit, alacriter suscipiant, dili- genterque obeant, ac denique Missionis muneri planē verēque satisfaciant. Sanctos Apostolos ac Discipulos à Christo Domino multoties missos imitari studeant: qui sine vilo humano praesidio subsidio, primū per to-

tam Iudaeam missi diuino auxilio & benignitate freti, iniunctum munus fortiter praestiterunt, atque eam eiusdem prouidentia & cura, spem animique fortitudi- nem conceperunt, vt deinde per totum orbem, Christi nomen humanis auxiliis destituti, ferre, praedicareque non dubitauerint.

Hanc ob causam fugienda sunt omnia non tantū mala exempla, sed quae maleuolis pos- sunt praebere facilitatem occasionem suspicionum sinistrarum. Nam, vt bene docuit Clemens A- lexandrinus, Non solum pudus ac temperantia est esse purus, sed etiam adhibenda est opera, vt quod est extrinsecus, sit ab omni reprehensione & vituperatione alienum. Idē Ordinatio illa de non adiutendis ad domum habitationis nostrae, neque visitan- dis feminis, seruanda est. Sed haec quoque à sexta & septima Congreg. Prouincialibus com- mendata c. 1. Ordin. General. n. 18. pag. 17. Pecuniam quoad fieri potest non accipiant: si accipere cogentur sic impendant, vt memores sint paupertatis & ad- ificationis, eiusque rationem Superiori postea reddant. Simus tales, quales vult esse S. Bernardus scri- bens ad Eugenium Papam l. 4. de Confid. 4. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequan- tur. Qui questum legationem non assument, nec requi- rant datum, sed fructum.

Hoc etiam mouerat S. Xaverius apud Tur- selinum lib. 6. c. 17. Pecuniam, inquit, neque restitu- tionis, neque elemosina nomine diuidendam pauperi- bus accipere Confessarios volebat, sed vel arbitrio eto- gantium, certisque pijs operibus nominatim vel gen- titim Sodalitati misericordiae attribuendam curare: ita melius & sodales illos pauperum egestatis & Sacra- dotes, Societatis fama vtique consulturos.

Idē meritō Sacerdotibus nostris Regula 22. hoc ipsum praescribit: Nomi aut petere, aut ac- cipere quicquam liceat, sine ab iis quorum confessionis audierint, sine ab alijs quod vel in pauperes distribu- vel alteri satisfactionis nomine restituat: nisi Superior cum opus esset, secus faciendam iudicaret. Quod ip- sum etiam S. Basilus monuit episcopus ad Cbilonē. Et S. Hieron. episcopus 2. ad Nepotianum scribit, vt sua ipse distribuatur. Idē S. Hilarion apud S. Hieronymum in Vita, Oratione cuidam praebent pecuniam in pauperes distribuendam, Tu, in- quit, melius tua potes distribuere, qui per vrbes ambul- las, & nosti pauperes: ego qui mea reliqui, cur aliens ap- petam: S. Arsenius, vt scribit Metaph. in eius vita, Arcadio Imperatori offerenti Aegypti uectigalia in pauperes & monasteria distribuenda, rel- ponderi iussit per literas: Pecunia distributio nequaquam ad me pertinet, qui iam sum mundo mor- tuus: mortui enim nulla est actio. S. Ignatius apud Orlandinum lib. 3. n. 43. P. Salmeroni cum locis in Hyberniam discessuro hoc Monitum dedit: Quod ad rem nummariam attinet, nolebat eam ipso- rum manu contingi, ne eam quidem, quam multa no- mine (tanquam Nuncios Apostolici) pro dispensationi- bus imperassent, sed pecuniam omnem quacumque ra- tione collectam, per alios potius pauperibus diuidendam atque

aque tractandam: vt iureiurando affirmare possent, si
 vsus esset, se ea muneris procuracione, ne assem qui-
 dem aut obolum attigisse. S. Bernardus libr. 4. de
 consid. c. 4. tales vult esse adiutores Papæ, *Qui
 nam supbia non exhauriant, sed corda reficiant, & cri-
 minia corrigant, fama provideant sua, nec inuideant
 aliena, qui non de dote vidua & patrimonio crucifixi,
 se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis ac-
 ceperunt, qui redeant fatigati quidem, sed non suffarci-
 nati curiosi & pretiosis.* Vide c. 5. pulchrum conti-
 nens exemplum aptum pro hoc loco. Cùm Ful-
 co Presbyter Parisiensis Diocesis concionan-
 do in Gallia & Germania conuersiones admi-
 rabiles fecisset, vt scribit Iacobus de vitriaco in
 hist. Occid. cap. 6. tum cepit perdere opinio-
 nem sanctitatis, cùm pecuniam accumulare
 cepit, pauperibus cruce signatis erogandam;
*Licit, inquit c. 8. causa cupiditatis vel aliquã sinistra
 intentione collectas istas non faceret, occulto Dei iu-
 dicio, ex tunc eius autoritas cepit minui apud ho-
 mines, & crescente pecuniâ, timor & reuerentia decre-
 scbat.*

Et S. Basilius ep. ad Chilonem ex Monacho
 factum Anachoretam, monet, *Prætextu subleuanda
 pauperum inopia provideo, ne suas studio inexplebili
 congreganda pecunie obnoxius aded, vt si quis pecunias
 offerat in vsum inopum erogandas, ipse item cerdo co-
 gnoueris, aliquos fulciende vite præsidio destitutos at-
 que indigos: in cuius are sunt pecunie, sac consilio suo
 tecum eat, vt adferat egenis Fratribus erogaturus: neque
 coningat, vt cum disperitendas ipse acceperis, earum
 effritu conscientia tua mitor, situm ducat auaritia &
 inquinetur. Quocirca merito tanquam rem præ-
 cipuam commendabat S. Philippus Nerus suis,
 & Confessariis, vt si vellent fructum facere in ani-
 mabus, a crumenis aliorum abstinerent: nec se in Testa-
 menta ingererent, etiam bona intentione, quippe præ-
 bentia susceptionum materiam, nec posse quem simul la-
 crari animas & res eorum. Immo & munera de-
 rectanda, vt supra etiam dictum est. Si mea sen-
 tentia exquiratur, inquit S. Basilius Reg. breu. res-
 pon. 304. Exilimo magis consultum iri multitudinis
 offensionis, & ad adificationem fidei fore probabilius si
 repudiatur huiusmodi munera; siquidem ex illorum
 susceptione primum illud incommodum nascitur, quod
 sepe numero ob eam rem malè audit: Fratrum Respu-
 blica.*

Accedit, quod libertatem, perdimus vitia
 euellendi aliorum. Nam, vt ait Pub. Syr. in sen-
 tent. Beneficium accipere, libertatem vendere est. Ideo
 S. Scriptura & SS. Patres, verant Iudicibus acce-
 ptionem munerum, Ex 22. 8. x. Reg. 3. 8. Iob. 35.
 34. Mai. 13. 31. i. Reg. 83. Et S. Basilius Instit. Mor.
 c. 26. & reg. breu. reg. 305. vetat etiam à carnali-
 bus propinquis aliquid accipere, ne alij pau-
 periores, qui nil dare possunt, confundantur.
*Acceptio enim munerum, inquit S. Greg. 1. 4. cap. 4.
 in 1. Reg. est causa peruertendi iudicij. S. Antonius
 apud Cassianum Coll. 24. cap. 11. 12. damna-
 uit Monachum, qui parentum alimentis & sub-
 Lancij Opusc. Tom. 2.*

fidiis victitabat. Maxime autem à fæminis non
 debet accipienda. Vide Nigrónium in Reg. 9.
 com. numer. 17. 18. 22. 23. 24. ad finem Com-
 mentarij.

Secunda vtilitas, ex vitâ exemplari redunda-
 bit in Ordinem, cui conciliatur magna apud
 alios opinio, ex vitâ eius Religiosorum; quod
 bonis filiis erga suam Matrem cordi esse de-
 bet.

Hinc ob exemplarem S. Xauerij & socio-
 rum eius vitam, nostri Apostolorum titulum
 consecuti sunt in Lusitanâ, & ad hunc diem sic
 appellantur, vt obseruauerunt S. Rotæ Romanæ
 Auditores, in Relatione Summo Pontifici datâ
 pro canonizando S. Xauerio, & scribit Turfellinus
 in eius vitâ l. 2. c. 3. Merito titulum Apostoli
 conciliauit vita Apostolica, ea enim elucebat
 in Prædicatoribus Apostolicis. Hinc S. Basilius
 in Moralibus Reg. 80. cap. 10. ponderans illud
 Matth. 5. Vos estis sal terræ; cuiusmodi, inquit, ra-
 tio esse in vniuersum eos velit, quibus credita est Euan-
 gelij predicatio: tanquam Apostolos & Ministros
 Christi, & dispensatores fideles mysteriorum Dei: sola
 ea, que à Domino præcepta sunt, integerrimè & re &
 verbo implentes. Nec tantum hoc, sed plus exigit
 S. Chrysostomus à nobis in nostrâ conuersatione,
 vt nimirum naturæ ipsius humanæ condi-
 tionem superemus. Idcirco, inquit ille h. 10. in 1.
 Tim. nos elegit, vt velut Angeli cum hominibus versemur,
 quasi spirituales cum animalibus. Si vitam æ-
 mulabimur Angelicam in sermone, in operibus,
 in incessu, in geitu, in habitu, in aliis, relinque-
 mus magnum odorem virtutis, & bonam de
 nostro Ordine opinionem: vt reliqui S. Ra-
 phaël in domo Tobia. Sed vt dicebat S. Xau-
 erius apud Turfell. l. 6. c. 13. Ad boni Societatis odo-
 rem, longè lateq; fundendum, non alia virtus plus ha-
 bet momenti, quam vera ac germana animi submissio.
 Illud quoque meminisse oportebit, auctoritatem apud
 populum, in sacris rebus ac salutariis, donum esse di-
 uinum, quod bonis viris ac piis deferatur vltro, callidis
 & humana id arte querentibus negetur. Simus vt fuit
 S. Ambr. quem laudans Deipara l. 3. Reu. S. Brigittæ
 c. 7. ait: Ipse bene potest vocari flabellum virtu-
 tum. Sanauit enim vulneratos verbis veritatis, incendit
 frigidos diuina charitate, & bonorum operum suorum
 exemplo, seruentes quoque voluptate peccati, refriguerunt
 ex eius mûda vitâ, & sic multos inuit ne intrarent
 mortem inferni, quia diuina delectatio in eo perman-
 sit quamdiu vixit.

SS. Maria l. 3. Reu. S. Brigittæ c. 15. ait: *Quando bo-
 nus loquitur malis, efficiuntur boni ex auditu, & pro-
 pter spiritum Dei bonam, & propter bonitatem do-
 centis. Præclarum huius rei exemplum in Histo-
 ria Societatis est, apud Orl. l. 3. n. 13. de Adoles-
 cente Lutherano, qui Romæ captus à Magi-
 stratu, Quod suo non contentus exitio, spargendis
 longè lateq; venenis peruertendisq; sanis menti-
 bus totus intenderet, cum per idoneos Theologia Magi-
 istros ad sanitatem reduci non posset, ad extremum
 Aa Ignatio*

Ignatio traditus. Patrum nostrorum moribus curiosius inspectandis, sensim animo commutatus, praua dogmata eiuerauit. Is deinde rogatus, cur qui tam obfirmato fuisse animo, ut de suscepta mente nullo terrore periculog, posset depelli, Patrum tamen sermonibus se sceli sit passus: Respondit, ita secum disputasse, fieri haud quamquam posse, ut à tam integrâ innocentig, vitâ, tam sanctis moribus, tantâ animorum coniunctio- ne & pace, quantam interea aspexisset, vera fides ab- esset. Vide vim boni exempli apud Orlandi- num l.11. num.78 & l.13. num.2. l.14. num.145. Et apud Sachinum l.1. n.42. l.4. n.285. l.5. nu.167. l.6. n.9.

397. *Tertia utilitas Redundat in nos. Primâ.* Quia vitâ bonâ præcludimus aditum detractori- bus, ne nos infamando, impediunt fructum la- borum nostrorum. Ideò S. Paulus ad Tit. cap. 2. monet: In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum; in doctrinâ, verbum sanum, irreprensibile, ut is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens dicere de no- bis.

Secundâ. Id prodest nobis, ob magna, quæ inde acquiritur merita & gratiam apud Deû.

Tertiâ. Quia securius sine lapsu versabimur in medio nationis prauæ, virtutum exercitio tanquam valida contra hostes armatura muniti.

398. Ideò S. Xaverius ut scribit Turcellinus lib. 6. eius vitæ c.18. *Censebat ad Apostolicum munus (sci- licet ad Miliones) deligendos viros egregiâ, diuig, spectatâ fide, virtute, constantiâ, sanctitate:* tum quia tales viros res ipsa postularet, tum quia vsu doctus sen- ferat, eam Provinciam grauisimam esse Sathana tenta- tionibus, molestis, & arumnis expositam. Proinde in eiusmodi Dominica vinea operariis, prudentiam magis ac sanctitatem, quam scientiâ doctrinamq, expebat: ratus ad tot tantâsq, difficultates superandas, necessa- riam profectò esse virtutem. Quòd si virtutem decora- ret eruditio, tum verè aiebat egregios perfectosq, Euan- gelij præcones existere. Alioqui turpe esset, velle a- lios bonos facere, & tali bonitate carere. Nam,

399. ut benè dicebat Abbas Pœmen in vitis PP. a- pud Russium lib. 3. numer. 183. *Homo qui alios docet, & non facit ea quæ docet, similis est fonti alto, qui omnes res lauat, & omnes satiat potu, seipsum au- tem lauare non potest, sed habet immunditias sordisq, limorum.* Idem dixit: *Docere animam tuam seruare, quæ lingua tua alios docet.* Vide Orlandinum l. 3. n.30.

CAPVT QVINTVM.

De modo conuersandi tempore Misso- num.

400. **D**Vm secularium aliquis detrahit aliis, pia quadam industria vtendum est, ad eiusmodi impediendos sermones. Quod ni fiat, loco utilitatis, nocetur proximo malè loquenti.

Non tractando cum simplicitate, dicebat B. Maria Magdalena de Pazzis 4. par. vitæ cap. 21. nocet sibi & proximo: & ne secularibus displiceat, abscondit simplicitatem, quæ etiamsi esset in eorum ha- bitu aculis, ostendunt sic tractando, eam non esse: quia non improbando sermones eorum contrarios sim- plicitati, suâ taciturnitate consensum præbent ei, quod isti dicunt. Ideò S. Dionysius Papa epist. ad Seuerum monet: *Sit lingua nostra bonis fo- mentum, malis aculeus: tumidos retundat, ira- tos mitiget: pigros exacuat, desides hortatu succen- dat.*

Hoc tamen valldè circumspicendè agendum, & eo modo, quo Macrobius l. 7. Saturn. c. 2. fa- ciendum in conuiuali sermone docet. Nihil, in- quit, tam cognatû sapientiæ quàm locis & temporibus aptare sermones, personarum quæ aderant assinatione in medium vocatâ. Alios enim relata incitarunt exem- pla virtutum; alios beneficiorum nonnullos modestie ut & qui aliter agebant, sepe auditis talibus, ad emenda- tionem venerunt. Sic autem vitii irreptos si & hoc in conuiuiis exegerit ordo loquendi, feriet Philosophia non sentientes, quia non ita prostrebitur in conuiuii censo- rem, ut palam vitia castiget. Et infra: Ergo si opportu- nitas necessaria reprehensionis emerferit, sic à Philoso- pho proficitur, ut & recta & efficax sit. Quid mixtum si feriet sapiens non sentientes, cum inter- dum sic reprehendat, ut reprehensus hilaretur. Quia in re prudentia opus est, ne acerba corte- ctione concitemus detractorem ad peiora vet- borum peccata. Cuidam amico meo sepe suc- cessit cum fructu & gustu conuiuiarum, dum ad esset conuiuiis, apud Episcopos & Primarios Regni Senatores ac Principes: solebat enim ali- quo eorum inchoante sermonem detractoriû vel iracundum, hilari vultu ac lato dicere: *Illu- strissime Domine, rogamus Illustrissimam D.V. vi latissimus, lati enim esse in tam nobili consensu volumus, relinquamus istos melancholicos sermones.* Et tunc propinabat illi: potum inuendit, & suaviter co- gebat finem sermoni detractorio imponere. Cuius sanè rei magna est habenda ratio. Quia, uti scribit Sachinus 2. par. Histor. Societa- tis libr. 8. numer. 125. de nostro P. Iacobo Lay- nez, secundo Præposito Generali: Præter- missa correptionis fraternæ peccatum, tanti faciebat, ut omissionem hanc & impudicitiam, duo esse vitia diceret, propter quæ quàm plurimi mortales peri- rent.

Verùm hoc charitatis officium prudenter exequendum est, ut priuatim fiat, si ex publica correptione nullus fructus speraretur, sed ti- metur potius animi exacerbatio. Ideò S. Bati- lius c. 3. in reg. mor. monet. *Qui aliorum in Eccle- sia docendorum munus suscepit, illud debet spectare, ut omnes ille quidem in virum perfectum, in mensu- ram ætatis plenitudinis Christi perfectos producat, vnumquemque tamen seorsim, ordine ac gradu ipsius seruato.*

Seruatur autem ordo & gradus, dum iuxta con-

conditionem personæ, adhibetur pia correptione. Quæ de re Deus Pater laudans prudenter zelosos Sacerdotes & animarum pastores cap. 119. dialog. sic dixit S. Catharina Senen. Ipsi vere imitati sunt vestigia Christi, ideo correxerunt, & non permiserunt membra languentia putrescere, videlicet non corrigendo, immò charitatiuè, cum benignitate vnguento, siue cum ignis asperitate plagam incidendo culpæ sicuti sancta discretio videbatur exigere, fortiter arguendo atque disciplinando, plus vel minus iuxta defectus exigentiam. Et ideo S. Basilii in Moral. reg. 80. c. 11. ponderans illa verba Christi Matth. 10. & 28. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, euntes docete omnes gentes, ait, non esse debere, tanquam Pracones Regni eorum, ad destructionem eius, qui habet imperium mortu in peccato.

403. Si ergo peccata occulta destruere debemus, multò magis publica, si ipse sit fructus, & si bono modo fiat. Bonus autem modus est, si id fiat cum animi lenitate, & sermonis, mote medicorum, qui non præscribunt imperiosè medicinas. Decet nos esse, inquit S. Basilii in Moral. reg. 80. cap. 15. tanquam medicos, qui magis adhibita animi lenitate, scienter secundum Domini doctrinam, animarum morbos curent, in acquisitionem eius, qua est in Christo sanitas & perseverantia.

404. In conversatione cum omni hominum genere, imprimis cordi sit datum à S. Xaverio monitum locuti, relatum à Turfellino l. 6. cap. 13. In congressibus & colloquiis cauendum est, ne nimia quadam grauitas suspensionem præbeat, reuerentiam exigentis arrogantia, sed potius facilitatem vultus præferat, affabilitatemq; sermonis. Et S. Bernar. l. 4. de Confid. c. 4. describens quales debet eligere Eugenius Papa pro Missionibus Apostolicis, ait esse debere tales, qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere; reuerendos exhibeant actu, non fastu. Quia, ut ait Cicero l. 2. Offic. Difficile dictu est, quanto opere conciliet animos hominum, comitas, affabilitasq; sermonis De S. Ignatio scribit Maffei l. 3. c. 11. Caueat ne de rebus etiam diuinis ineptè & ad satietatem ac fastidium ageret. De S. Xaverio Turfellinus l. 6. c. 11. Salubres, inquit, sermones, ne satietatem afferant, magna solertia condire, miraq; varietate miscere conueniat.

405. Eò sunt dirigendi sermones, vt aliqua in aliis utilitas, & saltem semina quædam pietatis relinquuntur, vt ex conversatione nostrâ vel meliores fiant, vel concipiant desiderium vite melioris. Vnde nos debere esse iuxta Christi dictum: Sal terra, inquit S. Basil. in Moral. reg. 8. c. 9. vt qui communionem cum ipsis habuerim, spiritu renouentur, ad incorruptionem. Nec hoc tantum, sed vt ibidem subdit c. 18. debemus esse, tanquam plantatores palmitum Dei, qui in vite, que est Christus, nihil alienum aut infructuosum relinquunt, & ea, qua conuenientia sunt atque secunda, meliora efficere student, omni diligentia, adhibita.

Lancicij Opusc. Tom. 2.

Et vt cap. 19. ait: Tanquam edificatores templi Dei; quorum cuiusque animam ita concinunt, vt fundamento Apostolorum & Prophetarum aptè congruat.

Hoc conantur præstare Deo pleni. Nam, vt ait B. Laurentius Iustinianus l. de casto contubio c. 12. Anima, que lucrata est à verbo, verbo fructificari conatur, quoties se offeri causa: (hoc est occasio.) Quodcunque impellitur seu vocatur à verbo, non minus ardentem quam prudenter postponit se, sua interponit vt vacet proximo, vt proximi succedatur profectibus. Nullo quidem exercitio congruentius occupatur Sponsa, quam cum animarum intendit lucris. Hoc etenim sacrificio nihil maius, nihil suauius, verbo redolet. Vnde Petro cum diceret: Amas me? illeq; responderet, Domine tu nosti omnia; tu scis quia amo te; ipse mox intulit: Pisce oues meas. Nihil amanti ardentem carius potuit committere, quam illud, propter quod exinaniri voluit & mori. Hoc exemplo quantum illi fraternus amor placeat, & potissimum cum circa anima salutem occupatur, voluit commendare. Hoc verbis, hoc in se ipso operibus approbavit. Ideoq; Sponsa verbo contradicere non audent, eidemq; ne dum intrus in imagine, verum etiam exterius in actione se conformari satagens, animarum profectibus intendere non recusat. Hortatur quos potest, docet quos potest, proximorumq; mentes nunc terrendo, nunc mulcendo, ad agnitionem prouehit veritatis. Cunctos pio fouet affectu, nullum despiciit, nulli se petenti donegat, aliena damna sua iudicat, vt vera charitatis zelo repleta sciat gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, non suis, sed in omnibus Verbi concupiscit honorem. Felix erit ille (vt dixit Christus Dominus S. Brig. l. 3. Reu. c. 10.) qui conatur pro posse suo, vt vitia de mudo extirpentur, quæ iam plus solito inualescunt. Quæ de re præclare etiam S. Bern. vt solet, scribit ad Eugenium Papam l. 4. de Confid. c. 4. describens quales esse debeant Missionarij Apostolici. Vult enim, vt absolutis suis Missionibus, redeant fatigati, sed non suffarcinati simul gloriantes, non quod curiosa seu pretiosa quæ terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem Regnis, legem barbaris, quietem Monasterijs, Ecclesijs Ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc autem omnia, & per sermones cum multis habitos, & per priuata colloquia cum solis, procuranda sunt. Hęc S. Antonius, humanis artificijs non imbutus, præstabat per priuata colloquia. Sermo eius, inquit S. Athanasius in vitâ, sale conditus, consolabatur maestos, docebat inscios, cœcordabat iratos, omnibus suadebat nihil amoris Christi anteponendum, proponebatq; ante oculos, bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam, & beneficia retereabat indulta. Deinde effectus sermonum eius, hos recenset: Quis non tristitia apud Antonium mutauit in gaudium; quis non iram, veritatem in pacem; quis orbitatis luctu, non ad eius temperauit aspectum; quis non merore paupertatis, quo premebatur, abiecto statim & diuitiū despexit opulentias, & in sua letatus est paupertate; quis post lassitudinem Monachus, non eius est adiutus hortatusque adolescentis ætatis ac-

410. census arboribus, non ex eius admonitu pudicitia, amator fuit: quos vexatus à diabolo sine medela rediit: quos inimici cogitationibus distractus, caeca tempestate sopita, sereno non regressus est animo: Hec in Eremito S. Anton. illiteratus faciebat, alij serui Dei in medià turbâ. De B. Platone scribit S. Theod. Studita or. funebr. *Quandiu, inquit, cum iis qui in vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam formam mutauit, & ad statum virtutis conuertit, sua lingua admonitionibus, turadi consuetudinem ab eiusmodi hominibus abstulit, nimios ornandi corporis cultus, modestâ suâ doctrinâ repressit. Sæpius de moru probitate disserens, vt charitatem exercerent in pauperes, hominibus persuasit. Quare factum est, vt abundè pecunia conferrentur. & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè distribuere eosdem ad lectionem compositè exercendam instituit, atque ad quoduis aliud opus bonum induxit.*

411. Idem fecere alij plurimi sancti, & nostræ Societatis præcipui quique primi Patres, & posteriores Hinc S. P. Ignatius, Salmantica Iudicibus vitæ suæ rationem redditurus, vt scribit Rib. l. 1. c. 16. Maff. l. 1. c. 17. Nequaquam, inquit, concionamur, verum de virtutis pulchritudine, de vitij seditate, cum occasio se dat, familiariter & ex æquo loco differimus, atque homines ad odium peccatorum, amoremque, probitatis hortamur. Eodem modo conuersabatur in Patriam reuersus (Maff. l. 2. c. 1.) de S. Xaerio Turfell. l. 2. c. 2. Nec quicquam in primatis colloquiis in expertum omisit, quous ad sanandos ciuium animos pertineret. Hoc imitatus P. Thomas Sanchez de se scriptum reliquit, vt refert Crombeius l. 2. de stud. perfectionis c. 32. q. 12. Dabo operam in omni conuersatione meâ, vt de Deo aliquid loquar, neque hoc tantum cum domesticis, sed etiam cum externis, vt ij aliquid de Diuinis acceptum à me domi referant. Sed quid addo Sanctos: etiam Ethnici, meliores reddebant alios suâ conuersatione & colloquiis. Plato, vt scribit Iustinus libr. 20. hist. Laudando quotidie virtutem, & vitia luxuriæ condemnando, casualisque ciuitatum hac peste perditarum enunciando, tantum studium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriosos in optimam frugem conuersos fuisse, incredibile videretur. Subdit postea, id affectum fuisse suis sermonibus, vt matronæ vestes auratas deponerent, & tunoni consecrarent. Socrates apud Plutarchum libro. An feni sit Respub. gerenda, Adhortationibus multis à prauis institutis ad saniora consilia virtutesque, adduxit. Epicteto Stoico scribit Arrianus lib. de doctrinâ Epict. in sermonibus nil aliud propositum fuisse, nisi vt animos audientium ad optima quæque experienda incitaret. In iis missionibus spectare debemus, quod Christus veniendo in mundum spectauit: qui, vt ait S. Leo ser. 2. de Natiuitate, Venit contagia nostra auferre, non perperi, nec succumbere vitiiis, sed mederi: venit vt omnem languorem corruptionis, & vniuersa vulnera sordentium curaret animarum. S. Basilus in Moral. Reg. 20. c. 23. Nullo modo, neque ad ostentationem,

neque ad quaslibet verbum Domini conferre debet, ditidit in aures audientium influendo, quo nostris vel voluptatibus vel commodis consulamus. Quidque contra in docendo tales nos esse velit, perinde ac si pro gloria Dei, ipso audiente, loqueremur. Præclara huius rei exempla inter alios & documenta reliquit nobis P. Petrus Faber, de quo sic scribit Orlandinus l. 3. hist. Soc. n. 29. Nullas prætermittebat occasiones ferende pietatis. Indagabat vias omnes omnibus consulendi, & quocunque ingrediebatur, omnem sermonis occasionem intentâ mente captabat: quoniam in tempestiua se non nunquam taciturnitate accusans: cuius vitio, plurima saltem bona fieri desinerent, quæ facta ab hominibus, salutem parerent, statim in posterum accuratius interiori parere voci, & momentum Spiritum exaudire, nunquam vt verbo pareret, sed in omni congressu atque conuiuio (ex Gregorij Magni præcepto, Hom. 17. in Euangel.) curaret, quæ singulis diceret, & quemadmodum vnumquemque moneat, vt quisquis se ei iungeret, quasi è salutis tactu aeternæ vitæ sapore condiretur. Bellissimum ducebat esse, & nostrum Ordinis proprium, relinquere in omnibus domibus & hospitibus, quod diuertimus, vestigium aliquod sanctitatis. Vbi que colligendum, cum debitores simus omnibus, & vbi que nos spectet Deus, cuius famulos & administratos esse nos voluit. Ideo committendum non esse, vt frustra aliquid ad notitiam nostram conspectum, perueniat: quia is, quem sequimur, nihil in se frustra & inane permittit, non vt cuiusquam aspectum, non vocis audientiam, non iter vllum, non ingressum, non statim aut sessionem: etiam si que, cum quopiam diueterint, non teneat ac frustra, sed consilio ac ratione, ad hos potius quam ad illos, & oculos, & iterum direxisset. Nec frustra ac sine causa, modo maritimum, modo terrestre tenuisse iter, modo foris, modo solum & secum ipso, modo inter homines & cum hominibus voluisse versari. Quemadmodum igitur nihil in eius actionibus inane fuit, nihil superuacaneum, nihil redundans, ita in nobis nihil reprehendi debere inane, nihil quod causâ fructus, vacaret. Illud addebat, ad præmuniendum castimonia iubeantur, obstruendoque, aditus insidiatori nequissimo, dignissimum commemoratione præceptum. Cunctis in hospitibus ac diuersoriis, non modo statim in congressu ex præcepto Christi pacem hospitii dandam, sed etiam pietatem palam ac liberè profitendam, tum piis de Deo sermonibus inferendis, tum Religiosis aperte colendis officiis, vt Religiosi viri dum ita fame seruiunt, ceterosque à flagitio sua probitatis opinione coercerent, vt eademque opera, & pudori suo consulant & alieno. Nihil enim nos ita continet in officio, vt & edita iam virtutis exemplâ: nihil ita petulantiam hominum frangit, reprimi impudentiam, cupiditates imminuit, vt sobrii hominis & temperantis aspectus. Eâ de causa Faber, iure quosdam non tam re, quam nomine Religiosos accusat, qui non sine diaboli fraude in hunc rapiuntur errorem, vt pudeat coram iis, quibuscum agunt, liberè profiteri qui sunt, quod liberius illi, quidquid collibitum fuerit, in aures castas eructant. Et sanè in Apostolorum Principe obferuare licuit, quam Christum timidè profiteri periculosum fuisse: dum Ioannem in Pontificis domo, qui notis erat,

erat, nullus læscit; illum verò adeo nuper, animosum, quoniam latere volebat, vox ancilla dececit. Quod rectè intelligens Faber, iam inde à principio imperauerat sibi ne quid in conuentu hominum conueneret, ne quid dissimularet: sed perpetuis de Deo, deq; virtute colloquii, quid proficeretur, ostenderet: vt nemo se presente auderet, aut nimis prudenter aliquid facere, aut mollem aliquem & delicatum inferre sermonem. Et, vt de eo scribit P. Roderus in Canisij virâ l. 1. c. 2. referens epistolam P. Canisij Moguntiae datam. Nullum ex illius ore verbum, siue in vsu familiarique congressione, siue dum mensè accumbit, prodire audio, nisi quod Dei honorem & pietatem sonet, neque tamen ob facundiam audientibus grauis ac molestus est. Didicerat videlicet ab ipso Christo sanctis epulas condire colloquiis, nec vt plerique positis sibi ante oculos cibi suauitibus saltebatur, sed ventre ac palato superior, statuerat sibi esse conuiuium diuini sermonis escam, non blanda voluptatis illecebram: Excellebat enim in familiari colloquio. Ideo Orland. l. 9. historiè de eo differens: Dicebat interdum ad populum: sed in congressu familiarique colloquio vis maior. In hoc ille paretur omnia, in hoc herabat & habitabat. Quia, vt ait Seneca epist. 38. Plurimum proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo. Quocircâ, qui non habent concionandi donum, procurent priuatis sermonibus inuare alios; sæpè plures, quàm alij concionando, inuabunt.

416. Agnouit hoc & Seneca epist. 38. Cum enim sermonem familiarem priuatumq; præposuisset publico & clamoso, subdit: Philosophia (id est, doctrina moralis) bonum consiliu est: consiliu nemo clamore dat. Aliquando videntur esse & illis, vt ita dicam, concionibus, vbi qui dubitat, impellendus est. Vbi verò hoc non agendum est, vt velis discere, sed vt discat, ad hæc submissiora verba veniendum est. Facilius intrant sed & hærent; nec enim multu opus est, sed efficacibus; seminis modo spargenda sunt, quod quamuis sit exiguum, cum occupauit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in magnos auctus diffunditur.

417. Nec tantum instat feminum sunt verba pia, & spiritalia, sed tanquam ros hortos perfundens & fecundans. Nam zelo præditi, tanquam rore quodam caelesti, sermone spiritali, irrigant corda Auditorum, secum familiariter colloquentium. Hoc enim probis & zelosis pastoribus animarum, commendauit Deus Pater S. Catharina Senen. c. 119. Dialog. Isti, inquit, erant hortulani veri, qui solliciti cum sancto zelo atque timore Dei spiritus peccatorum euellabant, plantando virtutum odoriferas in Ecclesia sancta plantas: vnde subdit vixebant virtuosè cum sancto timore, quotidie crescentes, veluti odoriferi flores in corpore mystico S. Matris Ecclesia. Et c. 146. Nobiliorem titulum dat Deus Pater iis, qui attendunt animarum profectui. Ad quem inter alia potissimum esse institutam Societatem Iesu aiunt Paulus 3. p. 3. Iulius 3. p. 53. Gregorius 13. p. 227. Verè, inquit, tales appellari possent alter Iesus Christus Crucifixus vnigeniti Lanciaij Opu, 6. Tom. 2.

tus meus, ex eo quod assumpserint officium eius Ipse venit veluti Mediator, vt miseriam auferret. Et ita pacificaret hominem. & mihi reconciliaret, tolerando multa patienter; ita faciunt isti cum desiderio cruciato sancto suo, qui mediatores efficiuntur cum orationibus humilibus, cum verbis exhortationis, & suam vitam sanctam proponunt omnibus in exemplum. Relucent in eis lapides preciosi virtutum, cum verâ patientiâ, supportando defectus aliorum. Isti sunt hami, cum quibus capiunt animas.

419. Quam sit autem excellens hoc opus, declarauit Deus Pater etiam per B. M. Magdalenam de Pazzis in quodam raptu 3. parte vitæ §. Octaua nocte, sic dicentem: Sicut Trinitas distillat & influit suam gratiam in creaturas dispositas, sic anima distillat anxium desiderium proximorum, & influit forte velle, vt creatura redeat ad suum Creatorem, & hoc distillamentum, aded est intrinsecum, vt penetret & perueniat ad ipsum cor Verbi, quod sibi multum complacet de tali distillamento. Et cum anima non possit iterum creare hominem, audeo dicere, Deum Creatorem omnium iterum creat in illis animalibus quæ eum perdidit, & propter animas recuperatas dicitur Recreati, id est, iterum creatus Deus. Magna est ista zeli excellentia, si eâ rectè vtamur & prudenter.

420. Quocircâ meritò S. Chrysostomus epist. 54. excitans Gerontium Presbyterum ad quoddam iter suscipiendum pro inuandis animabus, sic scribit: Huius professionis non paruum mercedem es habiturus. Quod si professionis, multu profectò magis, se res ipsas tractes, multumq; studium adhibeas. Si quidem huiusmodi peregrinationes (vti sunt nostræ Missiones) suscipere, longè præstantius est atque conducibilius, quam domi desidere. Illic enim degens, hæc etiam habere potes, quæ nunc habes: hoc est, ieiunium, vigiliæ, catechizatioque Christiana Philosophia genera. Domi autem desidens, ea lucrari non potes, quæ, si in illa regione commorareris, adipsi potes: nimirum, tot animarum salutem, periculatorum mercedem, tantaque animi promptitudinis ac studij præmium. Nam ne ipsa quidem animi promptitudo præmio caret.

CAPVT SEXTVM.

De modis conuertendi vel adiuuandi in spiritu peccatores.

421. **Q**ueres. Quâ prudentiâ opus est, ad conuertendos magnos peccatores?

Respondeo. Præter ea, quæ supra dicta sunt, & adhuc per occasionem dicentur, præsertim ex sensu S. Ignacij Patris nostri, & S. Xauerij, ac P. Petri Fabri, hæc quoque valdè proderunt.

In primis S. Xauerius hanc cum scelestæ vitæ hominibus rationem, tenendam dicebat, vt scribit Turfel. l. 8. c. 12. Si quando, inquit, incideris in homines aded implicatos fraudibus, libidimbus, odiis, vt

non solum hinc vitii expediti non laborent, verum necessaria respiciant remedia, omni humana Diuinaque ope emittendum est, vt eorum animi quamuis iam depositi aliquando tandem ratione sanentur. Proinde tu, nisi plane insaniant, amor & reuerentia, quam Christo Deo ac Domino suo debeant, proponenda: mortis independentis ac gehenne incutendus metus. Si quos neque amor Dei, neque timor flectet, eos vero acerbisimis penis, quas celestis ira ex improbis etiam in hac vita expetit, territare oportebit. Itaque denuntiandi graues diuturnique morbi, damna ac iactura rei familiaris, orbitas ac solitudo liberorum, coniugum probra, pericula tum maritima, tum terrestria, casus inopinati & atroces, atque alia generis eiusdem, quibus inueterata maxime scelera ac flagitia solitus est Deus vindicare. Quippe multos videmus esse, quos multo magis talium incommodorum timor moueat, quam cruciatuum aeternorum.

422.

Quoniam vero magnum est errandi periculum in corrigendis aliorum vitiis, subdit S. Xaverius praecalam cautelam: Prauos cuiuscumque moribus emendaturus, non prius manum admoueas, quam intimos eius perspexeris sensus. Itaque magnopere tibi suadeo, vt primum odoraris, atque inuestiges, an is vitio aliquo, aut mentis perturbatione occupatus, ab animi salute abhorreat. Si aequo eris animo, & ad accipiendam admonitionem parato, tum vero eum sedulo, qua videbuntur mouebis. Sin autem iras, aut quauis molestia perturbatum senseris, super sedendum erit monitionis officio, & affectus animus in sinuatione quaedam ac dulcedine orationis leniendus. Inde ad salutis suae cogitationem curamque, eum traduci oportebit. Lenioribus iniurio tradendis monitis, quae si belle processerint, grauioribus inde oppugnando. Ad vltimum, vbi eum in tuam redegeris ditionem, obnoxio ad arbitrium tuum Leges impones, & quaecumque opus erunt, plane aperteque praescribes. Ad leuandam molestiam, in amice sedandam, vnicum remedium est, angoris iracundiae causam extenuare prudenter, & verbis eleuare. Si iratus sit, iniuriam imprudentia potius, quam malevolentia attribuere, aut delictorum eius poenas diuinitus expetit as dicere: ipsum sortasse in parentes, propinquos, amicos, aut in alios innocentes, commississe aliquando aliquid, pro quo nunc penas caelesti Numini iustas ac debitas soluat. Hac aliasque eiusmodi, quae ad extinguendam valent iram inculcanda sunt. Quodde iram praecipit, ad ceteros impotentes animi motus transferendam. Istud autem vrgebitur, etsi aliqua veri species obiecta animum eius commouerit, tamen si colligat se, cogitationemque ad ipsam referens veritatem, res omnes consideret atque circumspectat intentius, profecto intellectuum causam, quam obrem tantopere moueatur, nullam esse. Ita demum hilari loquio vultu illam animi absterget molestiam, ac pro hominis conditione & propensione voluntatis, quid facto opus sit, amice emixque commonebis.

Omni etiam ope efficere niteris, vt quos erudis ad pietatem, suas tibi tentationes, incurstantesque animum cogitationes aperiant. Hoc quippe ad virtutis absolutio-nem praecipuum praesidium est, rudibus in hoc genere

pugna aut non satis peritis exercitiisque. Ceterum si feucior in eos quam benignior fueris (vt feucitas excludit fiduciam) facit illi quibus a satana oppugnatur modis, silentio suppriment, leuiter rati demonis insidias subire, quam acerbiter Magistri. Ita necessario nudati praesidio, telisque acerrimi hostis expositi, vsque ed incessentur preuenturque donec malis domiti, faciat deditio-nem.

Si quos aut superbia aut libidine ac quopiam alio vitio tentari senseris, optimum erit, spatium ad cogitandum dato, iubere ipsos remedia aduersus illa ipsa vitia excogitare. Quod vt succedat ex sententia, vnam primum aperies ad eiusmodi res inueniendas: deinde praecipies, vt rationes exquirant, quibus alios a talibus vitiis deterreant. Ita medentes aliis, ipsi medebuntur sibi.

Huc spectat praecalam S. Gregorij monitionem: Considerandum nobis est, fratres charissimi, vt cunctos admonere, studeat singulos, in quantum valet, instruere, priuatis locutionibus edificare. Debemus namque pensare, quod a Domino sanctis dicitur Apostolus, Apostolos nobis: Vos estis sal terra. Si igitur sal sumus, condere mentes fidelium debemus. Vos igitur qui pastores estis (Missionarij nostri sunt ex charitate spontanea pastores, vera Episcopi & Parochi ex officio & iustitia) pensate, quia animalia Dei pastus: de quibus profecto animalibus, Deo per Psalmistam dicitur: Animalia tua habitabunt in ea. Et saepe videmus, quod petra salis brutis animalibus antepositur, vt ex eadem salis petra lambere debeant & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis, debet esse sacerdos in populis. Curare namque, sacerdoti necesse est, quae singulis dicat, vnumquemque qualiter admo-neat, vt quisquis sacerdoti iungitur, quasi e salis tactu, aeternae vitae apostore condatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus.

Addam hoc loco praecalam modum quo quidam nos-ter conuertit magnum peccatorem confiteri nolentem. Hoc ita describit noster P. Ioannes Crombecius, l. 2. c. 2. de studio perfecti. Quidam inquit, de Societate nostra (cum quo dum vueret, familiariter vixi) per Brabantiam iter faciens cum socio, homini desperabundo (Deo ita disponente) occurrit: quem ex rbeda conspicatus, rogauit, vt currum conscenderet, vicig, recusantem importunitate. Cum Pater esset in rbeda, nullum ille fecit verbum, sed tacitus dicentem Patrem fixis intuebatur oculis: cumq, Pater multa narraret, diuina prouidentia factum est, vt de peccatorum confessione sermonem institueret, t-rigitq, inter narrandum hominis vlcus: qui stomachabundus illud, Quid inquit, aistu: vnde me nosti: nunc quid ego te vidi antehac ait Pater: sed nos huiusmodi narrare solemus, ne vanis & inutilibus rebus teramus diem. Ne mirere: nisi forte quid in te sit, quam obrem inuari velis, quod libenter facturus sum. Iuueris: inquit ille: sed quis me iuare potest, si confiteri renuam: atqui cerdo tibi persuadeas, nunquam id me in aeternum facturum. Si sine confessione mihi opitulari possis, tum enim uero patiar, vt me adiuues. Solatus dominem sacerdoti,

CAPVT SEPTIMVM.

Magnâ animi applicatione laborandum in Missionibus.

TOtâ animi applicatione in Missionibus vacandum est conuersioni animarum; quia præter orationem, & conuersionem exemplarem, etiam applicatio totalis animi, necessaria est Missionariis, ut citius & copiosius Deo lucentur animas, & conuersæ ac bonæ ad vitam sanctiorem excitentur. Dehemus esse, inquit S. Basilus in Moral. Reg. 80. c. 17. *tanquam Dei adiutores, qui solis Deo dignis operibus totos se mancipent pro Ecclesiâ Dei.* Et B. V. Maria l. 4. Reuel. S. Brigit. c. 21. *monuit: Amici Dei non debent attendari in seruitio Dei, sed laborare, ut homo malus, fiat bonus; & homo bonus, veniat ad perfectiora.* Ideo primi nostri Patres, & primi S. Ecclesiæ Pastores, quia totos se applicabant lucris animarum, pauculi numero, innumerabiles conuerterunt. Ego, inquit S. Chrysostomus, h. r. ad pop. fin. hoc cum omni polliceor diligentia, & vobis omnibus spondeo, quod si vos omnes hic præsentis hic habitantium salutem curare volueritis, breui tota nobis corrigetur. Atqui non minima ciuitatis pars est hic: (scilicet in templo congregata pro concione audiendâ) multitudinem minima, sed pietate summa. Dispensemus salutem, sufficere vnus homo fidei zelo succensus, totum corrigere populum. Cùm verò non vnus tantum, neque duo vel tres, sed tanta sit multitudo, qua negligentium curam posse attingere, non aliunde, sed per torporem vestrum, non per impotentiam, plures pereunt & labuntur: valdè enim absurdum, si pugnam quidem in foro viademus, non accedere, & pugnantem conciliare; quid verò dico pugnam: cùm a sinu cecidisse viderimus, omnes manum porrigere, & pariter erigere studemus; fratrum verò pereuntium curam habebimus nullam?

Porro ex hac applicatione animi ad animas, tria bona sequuntur: Primum, Non querent speciosam conuersionem animarum; idèd quia speciosa est, sed potiùs minùs speciosam, verùm magis vtilem. Hoc monitum dabat B. M. Magdalena de Pazzis etiam circa res alias 4. par. vitæ c. 33. *Ne curarent facere res magnas in apparentiâ, quia in his dicebat occultari superbiam periculofam animæ, sed que fiant magnæ & sublimes per ordinationem earum ad altum finem, rectâ intentione, quia talibus delectatur valdè Deus; & sunt abscondita ab aduersario.* Harum rerum è numero sunt, cæteris paribus, doctrinæ Christianæ pueris & rudibus traditio; & confessiones assiduæ, potiùs quàm speciosæ conciones; conuersionis pauperum familiarium, quàm diuitem. Ideo mirum non est, S. P. Ignatium, Professis (etsi, non sub obligatione voti, quam volebat inducere, sed impeditus fuit à P. Bobadilla) id commendatum cupiens, expressè hoc posuit in Regulâ Societatis,

Aa 4

ardos, bono animo esse iubet; reuèdia alia proponit, promittit; prudenti consilio, vt hominem caperet, se sine confessione (de qua ad tempus silendum putabat) auxilium allaturum. Tum ille confidenter, quod res erat, edixit: mortem se sibi eâ nocte destinafle; nisi remedium adueniret malo, angustias conscientia sua vltra ferre non posse; si sine confessione reconciliari Deo posset, nihil esse tam durum ac difficilè quod recusaret: nihil noui arbutari, dura & aspera pati. Tum que ad conscientia carnisficinam extinguendam fecisset, prolixè enarrauit. Vt ergo sine peccatorum confessione se iuuari posse speraret, totum se Patri eâ conditione subdidit. Promittit Pater omnino se prestaturum, nec facturum de confessione verbum, si tantum ad pauculos dies obedire vellet. & omnia, que præciperet, ex animam facere. Cùm ergo rbeda domum appulisset, petiit à Patre, quid à se fieri vellet. Pater, instrue, inquit, latum conuiuium, lautum epulum, & hospites tuos hilariter habes. Indigebas videlicet homo marore prostratus animi relaxatione, & maxime nocte illâ decretoriâ. Post epulum idem rursum, Pater, ait, quid vis me facere? Totâ nocte, inquit, Pater, securus dormias, ego cum socio pro te vigilabo, Deumq; precabor. Postridie rediit, petens quid sibi mandatum vellet. Dictauit ei Pater quendam puncta meditationis, qua fiduciam & lætitiâ animo adderent, consideranda horis distribuitis: atque ita duxit vnum atque alterum diem: tradidit ei deinde examen accuratum conscientia: Non, inquit, vt conscientis, hæc propono, sed vt scribas peccata tua, & in memoriam reuoces, atque de singulis doleas, quod fecit acuatè. Denique abduxit eum in syluam, socio longo intervallo subsequente; rogauitq; an benè excussisset animum, an nullum peccati genus intactum reliquisset, & ne quid forte te præterierit aut fugerit, inquit, sciscitabor ex te quadam. Rogauit quidquid horrendum, triste, atrox cogitari poterat per omnium scelerum genera, donec illud peccatum tangeret, quod ille admiserat, ac confiteri non audebat. Ibi perturbatus miser, & horrore concussus, vltro fassus est: Illud, illud (inquit) est triste, infandum, horrendum, quod eloqui non audeo. Tum suaviter & benignè: Atqui, ait Pater, in libris meis grauiora sunt & funestiora; ab hoc alifq; multo atrocioribus te possum absoluere: iam confessus es, nec opus est pluribus, nisi vt dicas cætera que scripsisti. Prociidi vir bonus in genua, cætera dixit, ac rite confessus, beneficium absolutionis accepit; domumq; reuersus, lætorem vitam duxit, quam paucis annis post cum æternâ ac felice commutauit. Dum adhuc viueret, natu Patris eiusdem alloquendi occasionem: Quantum bonum est, inquit, mi Pater, peccatorum confessio, quam securum me lacumq; reddidit: quam multatrisis sum passus, confessionem fugiens; qua facti è quadere potuissim, si conscientia parere voluissim!

425.

426.

425.

426.

427.

positâ in prima Bullâ Iulij 3. quâ confirmat Societatem pag. 53. *Puerorum*, inquit, ac rudium in christianismo institutionem. In quâ Bulla contineri Societatis Regulam & substantialia Instituti, declarauit Congregatio quinta Generalis, Decreto MS. quinquagesimo nono, impresso verò, quadragesimo quarto, pag. 389. & iterum alio Decreto MS. 74. impresso 58. pag. 408. Et in formula Professionis 4. votorum, promitti Deo voluit pag. 186. c. 3. §. 3. *Peculiarem curam, circa puerorum institutionem: immò, vt addit in declaratione huius loci pag. 185. lit. B. ac rudium: vbi etiam explicat, hanc promissionem, non inducere aliam obligationem, quàm reliqua spiritualia exercitia, quæ ad auxilium proximorum adhibentur, cuiusmodi sunt, Confessiones, & Predicationes, in quibus quisque se debet occupare iuxta rationem obedientiæ suorum Superiorum. Quod autem (inquit ibidem) de pueris docendis, in voto fit mentio, eâ de causa fit, vt sancta hæc exercitatio peculiari modo sit commendata, & deuotius curetur, propter singulare obsequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; & quia facilius oblivioni traditi poterat, & in desertudine abire, quàm alia magis speciosa, cuiusmodi, est predicatio &c. in Hispanico est. *Comofonel Predicar.* Et in formula Professionis 3. votorum pag. 188. p. 5. c. 3. §. 6. similiter obligantur Professi ad habendam peculiarem curam, circa puerorum eruditionem. Quâ de re consultus P. Laynez, S. Ignatij socius, & in Generalatu successor, anno 1561. 25. Febr. sic respondit: *Promissio, quæ fit à Professis trium votorum vel quatuor, docendi doctrinam Christianam, non obligat, nisi quando Superior ordinat.* Immò S. Pater & in votis simplicibus coadiutorum formatorum spiritualium posuit, & ab iis, dum ea emittuntur promitti voluit pag. 189. par. 5. c. 4. §. 2. *Peculiarem curam circa puerorum eruditionem.* Vide Nigron. in Reg. 6. commun. n. 13. de prædicatione in plateis. Et Ribadencyra c. 36. pag. 308. de Instit. Soc. Et inter prima monita quæ S. Ignatius dabat mittens aliquos ad noua inchoanda Collegia, ante Constitutiones vulgatas, vnum erat: *Quæque hebdomadâ semel, seu diebus Dominicis, seu quo alio die, Christianam doctrinam Discipulis exponetis; curâq; erit, vt quotidie ex eâ partem memoriter discant.* Quocirca in Exam. c. 4. §. 25. pag. 27. & 3. par. Const. c. 1. §. 20. pag. 100. statuit S. Pater, vt eam nostri omnes discant. Et 4. par. c. 8. §. 6. pag. 148. *Vt studium congruum, in modo tradenda Christiana doctrine, qui sit captiui puerorum ac rudium accommodatus, adhibeatur.* Et inter experimenta Nouitiorum posuit in Exam. c. 4. §. 14. pag. 24. *Quintum est, doctrinam Christianam vel aliquam eius partem, pueros & alios rudiores homines publicè vel priuatim, prout occasio se obtulerit, & in Domino commodius visum fuerit, & iuxta personarum proportionem, docere.* Et vt ipsis Nouitiis explicetur præscripsit. 3. par. c. 1. §. 20. pag. 100. Et vt in scholis tradatur discipulis. 4. par. c. 7. §. 2. pag. 143. & c. 16. §. 2. pag. 171. *Et assidue in Ecclesiâ Societatis p.**

236. par. 7. c. 4. §. 6. *vel extra Ecclesiam Societatis, aliu in Ecclesiâ, vel plateis, vel alius locis idem præfetur.* ibidem §. 7.

Et, Rectores eam legere aut docere quadraginta dies debent. 4. par. c. 10. §. 10. pag. 156. hoc est, primâ vice, quâ officium inierint, vt est explicatum Reg. 3. Rect. p. 91. & Reg. 4. Præp. pag. 71. & can. 15. Cong. 2. pag. 24. Quod si id per se Rector facere non possit, vel non debeat, id munus per alium obire potest, sed non nisi re cum Prouinciali communicatâ, si ille eiusdem sententiæ fuerit. 4. par. c. 10. §. 10. K. pag. 156. Et Cong. 2. Gener. can. 2. pag. 26. explicans 5. par. c. 3. §. 3. lit. B. sic statuit. *Quis Professus quatuor vel trium votorum, post editam Professionem, quibus etiam Coadiutor spiritualis formatus, post sua vota, intra annum per 40. dies continuos vel interpolatos, doctrinâ Christianam pueros atque rudiores personas docere teneatur: Præterea verò hoc tam sanctum exercitium visum est A. R. P. Generali commendandum, ne vllò inquam tempore, illius obliuio in nostros animos irreat, cum illud in nostrorum Societatis votorum formulâ complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, vt nostri frequentius, quem admodum ipsi in Domino visum fuerit expedire, in hoc tam pio opere exerceantur. Quod etiam can. 14. Cong. 5. commendatur P. Generali pag. 13. Porro Canon. 20. Congregationis selectâ, ortum habuit ex Ordinatione S. P. N. Ignatij per Traditionem seruata, vt apparet ex Can. 21. Congregationis primæ pag. 10. id ipsum commendantis. *Instituit, inquit, puerorum in doctrinâ Christianâ, præter id quod ad probationem pertinet, valde commendatur Professus, vt hoc pium opus, iuxta litterarum Apostolicarum & Constitutorum rationem, exequantur. Pater quidem noster Ignatius iniunxit, singulis Professibus, vt semel per 40. dies id facerent. Quam ipsum Ignatium, post emissam suam Professionem, per 46. dies continuos in nostro templo pueris tradidisse & aliis, scribit oculatus testis Rib. l. 3. vitæ eius c. 2. etsi linguam non calleret Italicam, & à Ribadencyra tunc adolescentulo corrigerentur priuatim malè ab eo Italicè expressâ; quæ grato animo excipiebat, ne tamen desisteret à tradenda Christiana doctrina, in quâ multos ad lachrymas & confessiones bonas excitabat, vt ibidem scribit. Et c. 3. Ordin. p. 30. anno n. 7. p. 34. inter præscripta Instructori, est, vt per villas & pagos Patres Tertij anni doctrinam Christianam tradant. Quod minus tãt faciebat S. Xauerius, vt dans monita P. Gaspari Batzæo Armuziam ituro, & aliis Patribus pro Indicis Missionibus destinatis, scriptum reliquit apud Turfell. l. 6. c. 12. *Lusitanorum liberos, & seruitia, cæterosq; idiotas, Christianis præceptis erudies, neque hoc munus, quod ad salutem animarum hominumq; benevolentiam plurimum habet, nomen committes alteri.* Hinc ortum in Lusitania, quod cura catechismi detur primariis Professibus, qui & præcipua Collegia, & Prouinciam cum latude gubernarunt, qui cum suo bacillo non erubescunt**

beſunt prodire in forum; & comitari pueros doctrinæ Chriſtianæ, & illos deducere ad locum cathediſmi, procedentes ordine cum ſuis vexillis & ſignis, quæ victoribus dantur loco præmij: ut rudis ætas, etiam his modis alliciatur ad melius perſcendum capita Chriſtianæ doctrinæ.

Præter doctrinæ Chriſtianæ institutionem, etiam aſſiduitas in Confeſſionibus, præſertim pauperum, eſt effectus magnæ applicationis animi ad Miſſiones. Qua de re adferam piſ ſenſus P. Ludouici de Ponte, quos in eius vitæ manuſcriptâ Romæ legi, & ex eâ deſcripi, quibus & alij, & noſtri Patres excitari poſſunt; ad aſſiduitatem in confeſſionibus, præſertim magnocum peccatorum, ac rudium.

Primo, Confeſſiones inquit, audire, eſt actus heroicus, qui valde placet Deo, quia in hoc actu Confeſſarius iurat ad reducendas animas ad ſuum Creatorem; & ut eâ reconcilietur; hoc magis immediatè quàm in aliis.

Secundo, quia ibi exercet opera miſericordiæ ſpiritualis, & ſpiritualiter corporalia. Ibi docet ignorantem, corrigit errantem, condonat iniurias Deo illatas, ſolatur triſtem, orat pro viuis, & dat bona conſilia. Ibi redimit captiuum, & ſoluit è carcere incarcerationum, condonatione peccatorum: veſtit nudum: veſte gratia, dat cibum prout illo opus habet. Et ita puto, bonum Confeſſarium, inuenturum Dei miſericordiam. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, quia non eſt eleemoſyna qua hæc adæquat.

Tertio, quia in hoc miniſterio, ſatiſfacimus officio, nobis à Deo commendato, ſicut ſacerdotis officium eſt conſpicere Corpus Chriſti Domini, ita eiſmodi eſt officiũ, poſſe abſolvere & condonare peccata, quia pro viraque re recipit poteſtatem. Et ita qui habet ſufficiẽtiam & licentiam, quando hoc facit, facit ſuum officiũ, & qui eſt è Societate, habet hoc ex Inſtituto & obligatione ſuarum Regularum.

Quarto, quia in hoc officio, ſe homo vincit, & multas repugnantias carnis, & eſt cum minori mundi applauſu quàm concionarari.

Præter hæc iuuabuntur animæ, ſi iuxta conſilium S. Xaverij datum Patribus Indiæ Miſſionis apud Turſell, lib. 6. c. 12. Poſt tradita diebus Dominicis ac feſtis poſt meridiem, ſidèi Chriſtiana capta, ſeruis & ancillis tradatur quoque ratio orandi animæ, curanda. Eadem ratio in tabellâ præſcriptâ proponantur in templo, ut poteſtas ſit deſcribendi iis qui viſi velint. Aliquid etiam temporis pacificatio inimicorum, diſſidentiumq; inter ſe reconciliatio vindicabit. In controverſiſ litibusq; tollendis illud inculcandum, plerumque plus impenſa in lites fieri, quàm quæti id ſit, de quo litigatur. Intellexit hæc veritatem P. Egidius Gonzalez vir doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ clarus, qui ut ſcribitur in Annis Collegij Madridani anno 1596. pag. 502. 503. Omnium poſſit Hispanicarum Provinciarum Pater appellari, in quibus 32. annis: totos, variis regendi muneribus, Pro-

vincialis; ſepius quoque diuerſarum Provinciarum viſitator, exegerat. incommoda arumnaſq; multas ſurgendæ ſui muneris cauſâ ſubierat, in tertiâ Congregatione Generali abſens licet, electus aſſiſtens P. Euerardi, affectus iam ætate 64. annorum, 45. in Societate, variſq; morbis fatigatus, impiger tamen ac ſtrenuus in Madridianum Collegium conceſſit, vbi triennio toto, magno virtutum omnium, humilitatis præſertim ac ſui ipſius deſpicientia exemplo, cæteris præluxit, ad labores verdè & confeſſionum audiendarum aſſiduitatem, tantâ patientiâ, ut iuuenem benè validorum operam æquaret. Admoſiſ à Superiore ſepius, ut aliquid ætatis atque affectu valetudini concederet modicâque aliqua remiſſione animi; laborum contentionem temperaret; reſpondit; nolle ſe ſibi victum gratis exhiberi. Cum in morbum incidit, quo conſumptus eſt; decumbens adhuc, ex ipſo lecto confeſſiones excipiebat, ut iam morti proximis, atque à mente deſtitutus, confeſſiones ſibi audire videretur, atque inter mortuis vocibus abſolutionis formam identidem pronunciaret.

Secundum bonum, ex magna animi applicatione ſequetur, toleratio incommodorum in victu, habitatione, laboribus, aliſq; que ſolent ingruere tempore Miſſionũ. Idèd ad hoc Chriſtus Dominus ſuis Miſſionariis nomen Paſtorum indidit, quia paſtores multa pati diu noctuque necesse eſt cauſâ ouium. Quod ad noſtrum ptopoſitum ponderat S. Chryſoſtom. hom. 29. in epift. ad Roman. poſt. med. in morali.

Perpendamus, inquit, ouium paſtores illos, qui in Cappadocum regione ſunt, qualia & quanta pro pecorum ſuorum ſtudiis pariantur. Illi ſepenumero vniuerſum triduum niue obruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Lydiâ ſunt, non minora mala ferre, dum integros meſes diſſicilem illam ſolitudinem; peſſimarumq; beſtiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt, paſtores illi, quam, quaſo, excuſationem habebimus, quibus rationales anima concedita ſunt, quod profundum hunc ſonnam dormimus? Reſpirare enim omnino oportebat: qui eſcere autem omnino & non circumquaque percurrere; innumerſq; etiam mortibus ſeipſos pro ouibus iſtis exponere, id demum non eſt boni Paſtoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? An non poſtremò & ſanguinem ſuum ſudit? Tu verdè requiem queris? Et quid Paſtoribus iſtis poterit peius eſſe? An non perpendis, quid oues iſtas circumſtant lupi, multò amaricatiores & ſauiiores? An apud temetiſipſum non reputas, quâ mente ſit opus ei, qui talem præfecturam ſit adminiſtraturus? Et homines quidem qui populis præſunt, ſi quando de rebus fortuitis conſulturi ſunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent, nos verdè qui pro ipſo celo certamen habemus, ipſo quoque die dormimus? Quis, quaſo, ab eo nos ſupplicio eripiet, quod iſtis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, ſi innumeras mortes ferre oportebat; nunquid ad hoc munus tanquam ad nundinas currendum erari: Et paulò poſt: Bonus Paſtor, & talis, quidem, qualem Chriſtus vult, cum innumeris

430.

418.

meri potest componi Martyribus: siquidem Martyr semel propter ipsum moritur, hic vero millies propter gregem: si modo talis sit pastor, qualem esse oportet. Talis enim Pastor singulis diebus mori potest, strenuo hic animo opus est. Hoc quia penetrarat P. Gabriel de Logroño vir sanctus, nostrae Societatis, mortuus anno 1612. in Collegio Mexicano: Quoties de nocte audiretur campana nostrae portae, exilibat confestim de lectulo, & anteueriebat lanitoris diligentiam. ab eoq; sciscitabatur, num aliquis infirmus se vocaret: Memor enim erat moniti S. Basilij in Moral. Reg. 80. c. 14. Immo S. Iohannis Apostoli 1. Ioan. 3. 16. Debere nos esse tanquam pastores Ouium Christi, qui quancumque tempus postulat, ne animam quidem ponere pro illis dubitent, vt Euangelium illis impertiant. Et, vt ait ibidem c. 16. Tanquam patres & nurrices filiorum, qui ex magnitudine eius qua est in Christo charitatis, parati sunt habenti animo communicare illis non solum Euangelium Dei, sed suam etiam ipsorum vitam.

432. Tertium bonum sequetur ex magna applicatione animi ad iuuandas animas, conatus eas reddendi perfectissimas. Iste est finis Societatis, non tantum salutem sed etiam perfectionem aliorum impense cum Diuina gratia quarere. vt dicitur Reg. 2. Summ. Medici animarum, inquit S. Nazian. or. 1. scopus est, anima pennas addere, ac mundo eam eripere. Deoq; dare, Diuinamq; imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem sulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare, Christumq; per Spiritum S. in pectoris domicilium admittere, atque vt summam dicam, eum qui superioris agminis sit, Deum efficerere, & super supernam beatitudinem ei comparare. Huc Magistra lex tendit, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro.

Non satis est ergo beatitudinem conciliare omnibus, etiam S. Nazianzeni iudicio, sed opus est, etiam Diuinam quandam in eas perfectionem inducere.

433. Hoc etiam dicebat B. M. Magdalena de Pazzis 4. par. vitæ c. 1. Non satis est, inquit, tantum desiderare salutem & virtutem animæ aliis, sed etiam vt habeat multa merita. & vt fiat alter Deus per participationem: sed qui non habet intrinsecum amorem, non facit ista, quia multoties cum deberet iuuare, nocet proximo, tractando cum certâ astutiâ, & verbis affectatiss. & sub spe iuuandi illum, querit vt intelligat quod desiderat. Et cap. 8. O quanto per te tibi sunt cari illi, qui non contenti ire per semitam ducentem ad caelum, conantur etiam alios conducere, quia boni quod habent, vellent omnes esse participes.

CAPVT OCTAVVM.

Quæ vitanda in adiuvandis animabus.

434. Ita querendum est auxilium animarum, vt duo vitentur extrema: Primum est. Si non sit vniuersalis procuratio salutis omnium, sed par-

tialis, quæ valde offendit, & est occasio malorum suspitionum, præsertim si id fiat cum fexta fæmineo. Anima zelo vniuersali ardens, vt dixit in quodam rapto B. M. Magdalena de Pazzis 3. par. vitæ §. octauo die: Sicur Verbum ad dextram Patris quinque vulneribus suis trahit animas beatas ad se, tanquam ad obiectum necessarium beatificum, & in terrâ alias creaturas ad se trahit vt meritorem, & tanquam ad obiectum contemplationis: sic anima in memoriam reuocans sibi vulnera Christi à Verbo relicta, trahit ad se quinque istibus amoris, omnes creaturas, desiderando ex charitate accendere omnes amore Verbi, & spargere vbique illum ignem: quem Verbum venit accendere in terrâ.

Tales describit S. Bernardus libr. 4. de Confid. c. 4. Qui vulgus non spernant, sed doceant; diuites non palpant, sed terreant; pauperes non grauent, sed foueant. Hinc S. Iacobus Ep. 2. 5. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Verè enim versamur tanquam oves in medio luporum, idè præcauendi mali eorum cogitatus. Præcauebuntur autem, si fuerit zelus vniuersalis erga omnes, maxime erga pauperes. Magnum est hoc signum boni zeli. Idè & Christus Dominus interrogatus à Discipulis Iohannis, inter signa sui aduentus & muneris, dixit: ite renunciate Ioanni: Pauperes Euangelizantur. Matth. 11. 5. græcè est κηρυξ, id est mendicium. Mirum ergo non est, primis quibus apertè Christi Natiuitas per Angelos nuntiata fuit, pauperculos pastores fuisse.

Omnes ergo ad Christi rete, sine discrimine alliciendi. Pulchrè id declarauit Deus Pater zelosissimæ S. Catharinæ Senen. in dialogo 146. Rete desiderij sancti, sine dubio accepit omnes, ex quo quia anima famelica mei honoris, non est contenta particulam habere, sed omnes habere peroptat; Bonus habere querit, vt eam adiuent in suo reti ponere piscis: & vt sibimet quotidie conseruent, & auget perfectionem: imperfectos verò cordialiter affectuose desiderat, vt boni sint: infideles quoque tenebrosos exoptat vt veniant ad lumen sancti baptismatis. Omnes ergo peroptat habere, cuiuscunque status vel conditionis existant, vt ex eo, quod omnes in me videt, à meà bonitate creatos, cum iam igniser à charitate, atque pretioso sanguine Iesu Christi Filij mei redemptos.

Simile monitum Christus loci dedit B. M. Magdalene de Pazzis secundo loco inter viginti Regulas ei datas: Procurabis iuxta vires & gratiâ quam tibi dabo, habere tot oculos, quot animas tibi concedam.

Idè inter primas veluti leges à S. Ignatio traditas iis, quos ad noua fundanda Collegia mittebat, vna erat: Diligenter ad sacramenta frequentanda Confessionis atque Communionis, quot quot dabuntur traducetis, & ad ea ministranda promptam ipsi & alacrem operam conferetis. Ita Orland. lib. 11. num. 13.

Didicerat hoc ab Apostolo Paulo, qui tradês formam Missionariis Apostolicis, sic scribit Coloss. 1. 28. Christum annunciamus, corripientes om-

nem hominem, in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Ter repetit, omnem hominem: vt sit zelus vniuersalis, non ad pauculos restrictus, sed expansus ad omnes, vt est Christus: Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 4. Et dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: ibidem vers. 6. Hanc vniuersalem curam commendat S. Chrysol. in proemio epist. ad Rom. Posteaquam, inquit, audiuit Petrus Christum dicentem, Petre si amas me, pasc oves meas, atque hunc maximum charitatis terminum pronunciantem, dici non potest, quam eximie hunc persecutor. Et veluti volatilis pro charitate effectus, omnes asidue circuebat, nusquam manens, nusquam stans. Hunc igitur & nos emulati, si minus orbem vniuersum: si minus Ciuitates totas ac gentes, ac certe suam quisque familiam, vxorem, liberos, amicos, vicinos, ad bonos compositosq; mores informemus.

435. Si ergo vniuersalis cura omnium (nisi valde peculiaris causa vrgeat, vni magis attendendum quam alteri) quia cura partialis valde offendere solet etiam bonos, presertim si ea, vt dixi, circa solas feminas versetur. Hanc ob causam in Oratione prima pro Prouincialibus, autoritate 7. Congregationis contracta, c. 1. n. 18. pag. 17. prescriptum est: Qui in Missionibus versantur, feminas ne visitent, nec eas ad se domum venire sinant, quacumque de causa, sed in tempore, si necesse fuerit audiuntur. Sunt & alie huius rei cause, quas sapienter tradidit S. Xaverius apud Turkelinum l. 6. vit. c. 17. dans monita P. Gaspari Vicario suo: Cum mulieribus inquit, cuiusvis conditionis, non nisi luce palam, atque in publico, hoc est, in ade sacra colloqueris: Nec vnuquam domum ad eas ibis, nisi forte gravitate aliquo casu cogente: veluti agere censuram confessionem excepturus: ac tum, curandum erit sedulo, vt illius maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certe vicinus idoneus. Si forte Virginem aut viduam conueniri oportebit, ad eius domum accedes, viris spectata comitantibus, quorum scilicet comitatus, non solum offensionem, verum etiam suspicionem hominum excludat. Talia vero officia conueniendarum mulierum, & rara sunt, & necessaria. Quippe lubricum negotium est, vbi minimum luci sit maximo periculo. Et quoniam femina (qua mobilitas & leuitas muliebri ingenij est) plerumque multum negotij Confessariis, facessunt, cum ea hec maxime cautio tenenda, vt viros Christo adiuuctos impensis excolas, quam eorum vxores. Nam cum naturae constantiores sint viri, & ab eis domestica prodat disciplina, rectius profectus apud eos, & vtilius opera collocatur. Recte enim Sapiens: Qualis est Rector Ciuitatis, talis qui habitant in ea. Et simul multa offensiones sermonesq; qui oriri solent ex seminarum familiaritate, vitantur.

436. Ad hoc propositum conducit pulchra oblatio B. Petri Damiani: Ipse Deus omnipotens per Esaiam (66. 9.) Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus: Vbi notandum, quia dum non alias, sed alios parere facio, dicat, virorum po-

tius ac Pastorum Ecclesia factus expectat.

Hoc ipsum monebat S. P. Ignatius eos, qui lucris animarum attendebant, vt scribit Ribad. l. 5. c. 11. Omnium, inquit, mulierum familiaritatem, etiam earum que spirituales aut sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat: sed earum maxime que etate, conditione, statu, periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur aut flamma. De vestimentis enim procedit timea, & a muliere iniquitas viri, vt ait Spiritus S. Eccli. 42. 13.

Vnde Cassian. lib. 10. c. 2. enumerans effectus acediae, ait: inter alia: Quaedam pia ac religiosa dicat officia, illos vel illas debere parentes inquiri: & ad salutandos eos crebrius preparari: illam religiosam deuotamq; Deo seminam, omni presertim parentum praesidio delitutam, magnum opus pietatis esse, frequentius inuisere: ac si quid ei esset necessarium, qua a propriis parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari: magisq; oportere in his opera pietatis impendi, quam instructuose ac sine vilo profectu in cellula residere. P. Balthasar Aluarez, vt in vita eius scribitur c. 5. p. 55. Hunc suum timorem explicans dicebat, non esse in tanto periculo eum, qui ex subtili flamma in turri aliqua alta penderet, atque is, qui postus est in occasione puritatem suam amittendi. Idem autem Dominus, qui castitatis donum ei fuerat largitus, eandem docuit cautelam, quanti deberet ad eandem conseruandam, suggerens ei hanc de humana miseria cognitionem & sensum. Cum Deus Dominus noster ante paucos dies fontes tui nihili tibi ostenderit, regalem sis expertus, quomodo scandalizari potes ex alienis lapsibus aut non esse valde cautus de propriis: Hinc didicit summam adhibere cautelam, ne vnuquam solus esset cum femina. Et cum aliquam visitabat, nunquam prius sedebat, quam etiam socio sedes adferretur. Et quoniam ipse cum multis spiritualibus feminis agebat, cum iis dicebat maiorem cautelam esse adhibendam, quod spiritualis amor soleat transgredi limites suos, & fieri carnalis, & optimum vinum conuertere in fortissimum acetum: quod tamen non ita aduertitur, donec mutue voluntates ita coniunctae & agglutinae, vt quauis illibenter & cum aliquo doloris sensu, potius a Deo quam a se muticem discedant & separentur, ne se contristent: iudicantes non decere sibi in illo amore teneroq; affectu deesse: & tunc demon accedit, & ignem accendens illos excacat & illaqueat.

Huc spectat illud, quod scribit Oelandinus l. 1. h. l. Soc. num. 7. de Nostro S. Patre: Sedulo autem Ignatij excubans cura in filiorum suorum tum sanctitate tuenda, tot inter animarum iuuandarum diuersa muna, tum famam premunienda, edixit tota Societate, non modò, vt seminarum, quauis nobilitum aut decumbentium, domos in comitatus nemo adiret, sed omnino ea esset in alloquendis obseruatio, atque prouiso, tametsi exciperetur confessio, vt aures quidem comitis, sed oculi nunquam excluderentur.

Non est tamen timendum spirituale damnum ex conuersatione cum feminis, si tria ad sint: Primum, superiorum voluntas id iubentium. Secundò, pura intentio eas iuuandi, sine vlla humana

440.

441.

442.

c. 5. Vit.
P. 65.

manā prætensione solatioli inde quærendi, formāque corporis oculos oblectandi, & similibus. Tertio, si ablit omnis leuitas & nimia confidentia ac libertas agendi. Dicebat P. Palchafar Aluarez; *Securitatem in agendo cum proximis, cum ex obedientiā id fiebat, esse valde magnam, adeo, vt si quis obediendi causā infames feminas accederet, vt illas Christo lucraretur, cum eis agens, mundissimas haberet cogitationes, quasi esset aliquis Angelus.* At si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, sedis ibi cogitationibus vreretur. Nescio, inquit, quomodo quis possit tutum putare, quod à Domini voluntate recedat. *Quenam, queso, securitas esse potest, vbi Deus non est.* Hoc enim est, quod S. Bernardus dicebat; quando bene erit sine illo; aut quando male cum illo?

443.

Secundum extremum vitandum est, nimie conuersationis & visitationis omnium. Et sicut non debet esse Eremita, ita nec effusus nimium ad omnes. Virtus prudentem mediocritatem exposcit. Ideo S. Antonius rogatus à quodam, vt largius suam præsentiam indulgeret, respondit, recte S. Athanasio in vita eius; *Non posse se diutius commorari ibidem, quod sicut pisces ab aqua extrahi, mox in arenis terrā morerentur, ita & Monachos cum secularibus retardantes, humanis statim resoluī consabulationibus.* O quot temporibus nostris fuerunt, inquit B. Laurentius Iustinianus de discip. Monalt. c. 22. *qui tanquam lampades ardentis & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex conuersatione secularium & consabulatione reperfactis ad pristina opera secularis vite miserabiliter ceciderunt.* Ideo & sancti viri timebant nimiam conuersationem. Animus, inquit S. Greg. l. 1. Dial. in proœm. *Cum se pro condescensione multorum ad exteriora sparsisset, etiam cum interiora appetit, adhuc procul dubio minor redit.* Hinc & S. Antiochus, hom. 102. *Laquei & pedica sunt aspirantibus ad salutem, secularium congressus, ac proluxa eorum consabulationes, mentem prorsus auocant à Dei glorificatione & spirituali lætitiā.* Dicebat etiam B. Albertus Magnus, & ante illum Seneca epist. 7. *Nunquam se referre mores quos extulerat, prodeundo foras.* Quod quidem si fiat cum decenti moderatatione, non obest, sed prodest moribus eorum, qui debito modo attendunt animarum salutem. Noui in Societate tales, qui è Missionibus plurium Mensium redibant magis collecti, saltem non minus quàm manendo in Collegiis, magis deuoti, magis puri, magis circumpecti, magis obseruantes Regulas, quàm ante fuissent. Tamen quia non omnes æquali imbuti sunt spiritu, nisi cogat certa utilitas sperata, vel promissa à peccatore, declinanda est conuersatio eiusmodi, in quā se quis totum occupet se neglecto, omiſsa meditatione & vsu examinum accurato. Anima enim desponsata Verbo, inquit B. Laurentius Iustinianus de casto connub. c. 12. *In hoc efficitur anxia, hoc agere nititur, vt sui non amittat custodiam, dum proximorum utilitatibus inseruit, ne pro aliorum commodis, mentis innocentiam perdat. Vno quidem*

444.

oculo vigilat, qualiter fraternæ proficiat charitati, aliter autem, quomodo Sponso suo se immaculatam exhibeat. Nouit tanquam in multis experta, quàm plurimos immoderato charitatis zelo accensos, cordis amiffisse mundiciam, & deuotionis necltare spoliatos esse, dum inconsulte vacantes proximis, se ipsas negligere non timerent. Laudabili quippe proximorum inuigilare salutem, non tamen minus vacare sibi ipsi necessaria actio. Non valet prodesse aliis, qui sibi nequam est. Per amplius illum vigilare oportet, cui nulla spiritus foemina tributa sunt. Quisque debet prius suam, deinde aliorum salutem querere. Semper humilis casum uertur, propterea à laudabili discretione moderamine sic secum agit, vt nec pro commodis proximorum contemplationem deserat, neque pro amore contemplationis aliorum curam funditus derelinquat. In vtroque se constituit medio. Nam cum licet, vacat sibi, cum charitas vrget, se exponit proximo; Sic tamen, vt contimē auhelet ad cubile Sponsi secreti reditur, de quo fraternæ charitatis accensa zelo egressa est. Semper cum foris manet, cordis postes prudentem obseruat, ne cum ad se tota reuertitur, iniquitatis maculam contrahat, per quam Sponsi aspectibus valeat displicere. Ideoq; ex fecunditate spiritualis prolis, Verbi fructione dignior efficitur.

Conuenit & iis qui in Missionibus versantur 445.
monitum datum Eugenio Papæ (multis occu- 1. Cog-
pationibus obruto) à S. Bernardus: *Si totus, inquit, vñ esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena est. Quomodo autem plena, te excluso: Et tu homo es. Ergo vt integra sit, & plena humanitas, colligat & te intra se finis qui omnes recipit.* Alioquin quid tibi prodest iuxta Verbum Domini, si viueros lucreris, te vnum perdens. Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu; ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere inuisibilis & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & femina, senex & iuuenis, clericus & laicus, iustus & impius, omnes participant te, omnes de fonte publico bibunt. pectore tuo, & tu seorsum sciens stabis? Si maledictus qui partem suam facit desertiorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem? sine deriuentur aque tue in plateas, homines & iumenta, & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuat, sed inter ceteros, bibe & tu de fonte puri rui. Alienus, inquit non bibat ex eo. Nunquid tu alienus? cui non alienus, si tibi es? Denique qui sibi nequam, cui bonus; immemento proinde, non dico semper, non dico sapere, (in die) sed vel interdum, reddere te ipsum tibi. Vere tu quoque te inter multos, aut certe post multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico secundum indulgentiam, non secundum iudicium. Puto & ipso Apostolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo plus quàm oportet inquit. Non inficior. Quid sit oportet? Num tu (vt confido) nostrā non eris meticulosa in formatione contentus, sed abundabis magis. Etc. 7. Quoniam nunc dies mali sunt, iustificat interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, & cordis & temporis questrare. Hoc autem dico, necessitatem intuens non aequitatem, quoniam non sit pra-

ter equum necessitati cedere. Nam si liceret quod de-
ceret, absolute per omnia & in omnibus preferendam,
vt vel solam, vel maximè colendam eam, que ad om-
nia valet, id est, pietatem prorsus irrefragabilis ratio
monstrat. Quid sit pietas quaeris? vacare consideratio-
ni. Quod sit maximè in Meditatione. Non est
ergo negligenda, curat enim vitia & praeruat
ab iis. Alioqui, vt scribit S. Isidorus Pelusiota l. I.
cap. 391. Ridiculum est atque illepidum, aliis medici-
nam afferre conari, se ipsum autem egrotantem negli-
gere.

Hoc sensus, sed non nimium scrupuloso, in-
telligendus est S. Gregorius Papa, dum ait in 1.
Reg. c. 9. Exposit. lit. Rarò. inquit, Samuel videba-
tur in Ciuitate, videlicet rarè veniens, citò recedens.
Quo nimium Magisterio S. Ecclesie Doctor instruitur,
videlicet rarò sit in publico, frequens in secreto, vt
quò tardius aspicitur, deuotius veneretur; quia quò
amplius in secreto contemplationis latuit, Verbi
Dei thesauros ad eos qui se expectant, diuiores tra-
hit.

Qua in re tamen adhibenda moderatio iudicio Seneca de Tranquil. cap. 15. Miscenda ista
& alternanda sunt, solitudo & frequentia, illa nobis
faciat hominum desiderium, haec nostris, & erit alter
alterius remedium. Non sit tamen solitudo nimia
& meticulosa. Ideò P. Balthazar Aluarez, nostros
excitabat, ne essent nimium additi recollectioni, &
negligerent agere cum proximis, sed de spirituali ani-
marum bono, ed quò adèd esset proprium nostra voca-
tionis munus. Ideòq; dicebat, nimium hoc studium re-
collectionis in hominibus Societatis, non esse Spiritum
Dei, cum nobis constet Diuinam Maestatem contra-
rium velle, ad quò nos vocauit. Nec illud est tutius.
Nam securitatem non dat angulus, sed protectio Dei,
qui etiam in cubiculo potest nos deserere, si propria vi-
olentate ad illud nos recipiamus: & proteget etiam in
medio foro, si ex eius obedientia ed nos conseruamus. Nec
est vitiosus. Nam tali nimis amanti quietem, Deus sub-
trahit portionem spiritus, tanquam otioso & inutili
seruo. Et in eundem sensum nominatim propendebat,
quòd cum Christus Dominus noster ter in eadem nocte
orationem suam interrupperit, vt suos tres Discipulos
dormientes excoaret, non adèd sit mirum, si nos inter-
rupimus aut omitiamus nostram, quando id exigit
necessitas, ad excitandas animas somno peccatorum aut
teporis oppressas. Neque valet excusatio, quòd aliis ex
obligatione incumbat, illis necessitatibus attendere: plus
enim Samaritanus non passus est elabi sibi occasionem,
ed quòd alij eam neglexerint. Nam licet Sacerdos &
Lenita praeterierint absque compassione eius, qui inci-
derat in latrones, & vulneratum reliquerant, ipse ta-
men suum iter interrupit & substitit, vt eius neces-
sitati subueniret. Non itaque negligenda sunt huiusmo-
di opportunitates, quando illas nobis Deus manife-
stat. Si inuenis, inquit, frustum auri in terrà, statim te
ad illud accipiendam demittis, non quarens, cur ille qui
proceffit, non accipit. Quòdnam igitur aurum est pre-
tiosus aliqua animà? & quis thesaurus magis te potest
ducere: quàm si illam lucreis cam idem Dominus di-
Lancicij Opusc. Tom. 2.

xerit: Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum
eris. Quocirca bene dixit S. Greg. Nyllenus: Qui
humanam nouit naturam, nec totum quidem mundum
dixit satis iustum pretium, quod detur pro animà ho-
minis. Alludit ad illud Christi: Quid prodest homi-
ni, si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua de-
trimentum patiarur, aut quam dabit homo commuta-
tionem pro animà suà?

Ier. 15. 19.
h. 4. in
Eccles.
Match.
16. 26.
Mat. 3.
36.

CAPVT NONVM.

De seruandis quibusdam rebus, vt sine pro-
prio & aliorum damno succedant
Missiones.

VT profit noster agendi modus supra ex-
plicatus, nobis in Missionibus valde atten-
dendum est ad Tria: Primò, vt actiones singulae
& sermones fiant non ex impetu naturæ, sine
consideratione & circumspectione, seu, vt B.
Laurentius Iustinianus l. de discip. & perfectio.
Mon. Conu. c. 22. In conuersione externorum
exigebat inter alia, vt sit, prudens maturitas, que in
sermonibus sit circumspecta, quæ cum sit pars pruden-
tiæ integralis iuxta S. Thomam 1. 2. q. 57. a. 6.
& 2. 2. q. 49. & Macrobius lib. 2. c. 10. in Somn.
Scip. sic describitur à Richardo V. c. p. 1. de ex-
term. mali. tr. 3. c. 15. Circumstantiam malorum soli-
cita sagaxq; persecutio; ab aliis verò melius &
generalius: Accurata consideratio circumstantiarum;
Ideò prudentia maximè dirigere debet, nostros
sermones & actiones. Hinc Prou. 10. 19. Qui mo-
deratur labia sua prudentissimus est. Et Eccles. 21. 28.
Verba prudentum statera ponderabuntur. Ad hoc
conducat, si loquamur cum reflexione. Oportet
nos esse, inquit S. Basilus in Moral. Reg. 80. c. 13.
tanquam ocalum in corpore, vt videlicet habere dele-
ctum & bonorum & malorum sciant, atque vt Chri-
sti membra ad singula quibusque accommodata officia
dirigant. Immo ipsa verba talia sunt, & tali modo
in concione & in confessionibus, & in collo-
quijs priuatis proferantur, vt sint apta ad mo-
uendas animas ad Deum, tum ne possint pari
calumnias, & malas interpretationes & accu-
sationes. Nam, vt dicebat B. Maria Magdalena
de Pazzis 4. p. vitæ c. 21. Multoties cum quis deberet
iuuare, nocet proximo, tractando cum certâ astutiâ, &
verbis affectatis & sub specie adiuuandi illum, quaerit,
vt intelligat quod desiderat; & non tractando cum
simplicitate, nocet sibi & proximo.

449

Hinc dicere solebat S. P. N. Ignatius, vt scribit
Orlandinus lib. 16. n. 122. In Societate hominum ge-
nera duo esse: vnum eorum, qui extruerent solam: alte-
rum eorum, qui simul inter extruendum destruerent.
Primum sibi genus probari, & hos esse, qui zelo vre-
rentur considerato, prouidentes, ne quam damni cau-
sam: non modò re, sed ne specie quidem darent; ne ij
offenderentur, qui si aduersarij fierent, possent nostrum
in Diuino obsequio, & salutis publicæ studio impedire
cursum:

450

cursum: atque ad eam, qua recte alioqui ferent, omitenda censebat, non damni privati formidine, sed operum respectu potiorum, quia sepe numerò dum parum caute quid attentatur, nec illud efficitur, & mora multis aliis obicitur.

451. Hinc, cum P. Michaël Nauarrus, etsi esset, dono eximio sanitarum à Domino Deo ornatus, & miraculorum gratiâ (ipso S. Ignatio conficito, & probante Diuino donum) præditus (nam per sæpe complures ægros, solâ manus impositione repente sanauit, non tantum febres ardentissimas, sed etiam claudos, cæcos, mutos) tamen, cum acrius pro Societate quam par est, etsi iuste, pugnasset, cohibens Episcopi Tiburtini Vlearium, qui ægrè ferebat à nostris Tibure ad populum verba fieri, & Ecclesiæ Sacramenta administrari, Ignatii reprehensionem non effugit. *Volebat enim suos omnes* (inquit Orlandinus l. 10. num. 75.) *B. Pater, etiam tum, cum pro Societate causa stare, non modò aduersus Episcopos, verum etiam, erga eorum vicarios, summissè, modestèq; se gerere.*

452. Extat eiusdem rei præclarum documentum & exemplum S. P. N. Ignatii descriptum ab Orlandino libr. 13. numer. 6. Cum anno 1553. Palmius & Ribadeneyra singulis hebdomadis suo quisque die conciones haberent apud argentarios in viâ, (Italicè dicta, alli banchi) inde occasione acceptâ, ut Concionatorem id damnantem compitalium dictionum genus factò ipso resutarent, plurimo confluentè & honestissimo Auditore, & fructu extante ingenti ac multiplici, inductu maleuolorum, Vrbanorum Praefectus satellitum, eum suorum armatâ manu interuenit, ac protinus magnâ voce pro imperio tacere, ac descendere Palmium iubet. Qui cum statim obsequi vellet, obseruandam dicens in administrando publicam potestatem, ecce in concione tumultus, cursariq; & corripit arma, nec vox concionatoris demulcentis audiri. Denique satellites coactus sibi fugâ consulere. Eodem die Praefectus, qui veniam sibi ab Ignatio exoraret, iussit sub vesperam, excusans, si quid per eam concionis frequentiam turbaretur, veritum se, ne sibi id fraudi esset. Acceptâ Ignatii satisfactione, postero die Palmium eodem redire, ac purgare inter concionem Praefectum iussit. Nec postea amplius reuerti permisit, vir modestissimus, & cui lucra animarum ea placerent, quæ quantum fieri posset, nullius in offensionem incurrent.

453. Huc referendum est aliud monitum eiusdè S. Patris, descriptum à Ribadeneyra lib. 5. c. 11. In omni sermone maximeq; in pacificandis hominum animis ac reconciliandis, in controuersis rebus definiendis, tractandisque, Diuinis rebus, eam moderationem cautionemq; adhibendam, ut nihil imprudenter excidat, sed verbum quodcunq; nostrum, cogitemus ad multorum aures peruenit. Nihil autem perueniet, nobis vel nostro Ordini nociturum, si præmeditatè, & ut dicunt Itali (sanguine frigido) loquemur & agemus, præuîâ consideratione, & sine impetu naturæ, rationem præueniente. Quæ

454.

si præluxerit, adhibebis semper in omni conuersatione id, quod monebat S. Xauerius apud Turcell. libr. 6. cap. 12. summè necessarium, etiam in arctâ familiaritate cum iis, qui videntur amicissimi, qui sæpè non vnius confidentiâ abusi, ei plurimum nocuerunt postea. Apud eos, inquit, quibuscum versaris, quosvis amicos & familiares, ita semper te geras, ut si aliquando futuri sint inimici. Hac cogitatio lasciuientem licentiâ vitam, facile cohibebit, ut ne quid amicitia & familiaritate prouelicis offendas: simulq; talis cautio in verecundiam adducet, sine vllâ causâ, tibi amicitiam renunciandi. Quod etsi in aliis rebus, tum maxime, in reuelandis secretis, seruandum est. Idèd Pronebi monet S. Spiritus: *Secretum extraneo ne reuelas, ne 2. 9. fortè insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset.*

Nil etiam de Principum moribus refer, quod eis nolles indicatum. Hinc Spiritus S. ut id persuadeat, etiam cogitationes de talibus vetat, & asserit dicta de illis peruenire omnino ad eorum notitiam: *In cogitatione tuâ Regi ne detrahas, Ecclesiæ & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuini: quia 10. 12. & aures cali portabunt vocem, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.*

Idèd S. Nazianzenus, Conuenit, inquit, nullum molestum verbum in Praefectos & Proceres proferre, Periculum est enim, ne id etiam quod occultè & remotis arbitris dictum fuerit, in lucem forte veniat. Etenim soli & Diuini & magno Regi nuncios celeres & pennati omnia perferunt. Hoc significat alia Hyperbolica locutio Iuuenalis:

Secretum diuini vllum

Esse putas: serui ut taceant, iumenta loquuntur, Et canis, & postes, & marmora.

Omni enim sermo ad forenses famam, à domesticis manat auctoribus: ut scribit Cicero epist. de petit. Consulatus ad Marcum fratrem.

Secundò curandum est, ut in Examine conscientia, executiam factâ & dicta nostra, an rectè processerint, præsertim dicta in Confessione Sacramentali. Hoc S. P. N. Ignatius dabat monitum iis, qui attendunt inuandis animabus alicorum, teste Ribadeneyra in eius vitâ libr. 5. cap. 11. Multum enim dicebat cohibet, & quasi vinculis quibusdam exultantem naturam constringit, meditatio, & comparatio animi, & assidua accurataq; eorum quæ cogitaueris, dixeris, egeris, commemoratio. Quod si socium habeas, quicum communicari hoc officium rectè possit, vltro & citro & ab illo moneri liberè & illam monere placidè velis.

Atque ita inter monita data Laynio & Salmeroni, dum ad Concilium Tridentinum mitterentur, hoc quoque S. Pater dedit, ut referret Orland. lib. 5. hist. Soc. numer. 26. Rogabit quisque singulis noctibus alternatim reliquos socios duos, ut ipsum corrigant, & ubi visum fuerit liberâ oratione castigent, nec castigantibus causam facti redderit, nisi postulatus & iussus.

Hoc

Hoc ipsum à caelesti edoctus Magistro dicebat S. Xaverius in Indis; vt scribit Turfell. lib. 6. c. 13. in fine. *Quærendi, inquit, fideles amici ac monachi, qui si quid à vobis in vestris peccatum erit muneri, amice vos libere, admoneant: vt vestra vitia qua vos ipsos fugiunt (in suis enim quisque vitii hebetior est, quàm in alienis) per alios cognita exuatis. Quod etiam faciendum in quotidiano conscientie examine dicebat S. Xaverius, apud Turfell. l. 6. c. 13. In Examine conscientie, inquit, interiore curâ speciatim exquiretis, ecquid peccatum à vobis sit, in concionando, in confessionibus audiendis, in congressibus & colloquiis, erig, deinde vobis cordi, vitia deprehensa corrigere, animumq; noxiis affectibus repurgare.*

Tertio curandum est, vt nos & omnia nostra, profundâ meditatione, & oratione feruenti muniamus, ne dæmonis vel hominum malitiâ delectamur ipsâ viâ veritatis, aut ab aliis in plicatione animarum impediatur. Sed potissimum feruenti ac frequenti oratione animanda sunt nostra verba, & petenda à Deo necessaria auxilia, tum pro conuersione animarum, tum pro nobis ipsis, ne diuturna cum sæcularibus conuersatio nostro spiritui obstruat, ne dum lucrari alios volumus, nos ipsos perdamus.

Ideo P. Balchafar Aluarez, Magnis aiebat esse necessariam virtutem, ne cum improbis & perditis hominibus agens, ipse etiam peccat, & innumera audiens impii, ipse etiam inepius fiat; & audiens mille sordes, & ipse inficiatur & maculetur, nec genia sua honoris idola, quod mundus adorât, stectat. Quod si ad euitandam aliquam tacturam, opus est magnâ virtute, quantum erit necessaria ad se ipsum & proximos custodiendos? Tali certe esse debet, vt ipsum virus, quod sensuales homines occidit, ipsum met nutriet. Id enim sibi vult illud

Offic. Peccata populi mei comedent Sacerdotes. Quare tunc optimo S. Dionysius aiebat: Neminem tuò posse magistrum agere in rebus diuinis, qui has non habeat conditiones. Primam, vt sit Deo similis; Secundam, vt is illam exponat ad volandum; Tertiam, ne is incurius tale munus aggredietur. Hac autem consequetur, si per orationem pendeat à Deo, magnâ fide ac fiducia, quod auxilium ab eo accipiet, à quo mittitur; nec patietur, ipsum in eo negotio perire, quod ipse iussu aggreditur. Ex parte tamen suâ conari debet, vt plurimos habeat oculos, quemadmodum celestia illa animalia, seq; valde conuere, ne liberam det oculis, lingue, aut manibus libertatem; nec ingerat se occasioibus, quas possit vitare: ex eis enim lapsus eueniunt, non verò ex illis quibus Deus illam immitit. Ad finem etiam ministerij sui examinet, quid egerit, & in quo limites suos excesserit: ac denique penam aliquam adhibeat, & remedium in suarum.

Hoc præmonuit Spiritus S. Eccli. 29. 27. *Recupera proximum, secundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidat. Cùm enim, vt ait S. Ioannes i. Ioan. 5. 19. totus mundus in maligno sit positus, periculum est, ne picem tangendo, inquinemur. Serpent enim vitia, inquit Seneca ep. 94 & in proximum quemq; transfiliunt, & contactu nocent.*

Lancij Opusc. Tom. 2.

Ideo S. Ignatius, vt scribit Ribad. l. 2. c. 11. *Esis qui cum proximis agunt dicebat cogitandum esse, se non cum perfectis hominibus viuere, sed in medio nationis prauæ atque peruersæ: idè cauendum, ne illorum vitia nobis adhererent. Vbi enim viti mixti fæmionis aduuntur, ralu conuentus occasio & congressionis turpitudinis causa est, inquit Clem. Alex. l. 3. pæd. c. 11. Et vt ait Tertulianus de spectaculis c. 25. Talium commercia scintillas libidinis constabellant.*

Ne ergo aduramur, ne, vt ait Seneca epist. 7. vitium vllum alij nobis aut imprimant aut allinam; muniamus nos accuratâ meditatione, & imploratione Diuinitum auxiliorum. Nam, vt bene ponderat B. Laurent. Iustinian. l. de agone Christi. c. 6: perpenfa Apostolorum dormitione in horto; & deinde fugâ: *Mens, inquit, si quando oratione neglectâ, caput ad sui custodiam dormit: atque, repente cupiditatibus frana laxantur, & immundis cogitationibus aditus referatur, atque non mediocriter sepefere, imboat incendium charitatis. Attendendum itaque est meditationi & orationi in Missionibus, non minus, immò magis, ob maiora pericula, quàm domi. Meditatio enim, vt inquit S. Bernardus ferm. 1. de S. Andrea, docet quid desit; oratio ne desit obrinet, illa, viam ostendit, ista deducit; Meditatione denique agnosimus nobis imminetia pericula, oratione euadimus. Et libr. 4. de confid. c. 4. Describens Eugenio Papæ quales debeant esse adiutores pro iuuandis animabus, inter alia ait: Tales esse debere, qui orandi studium gerant, & vsum habeant, & de omni re rationi plus fidant, quàm suâ industrie vel labori.*

Est & altera causa adhibendæ orationis, Lucrum animarum, ad quod eoducit Oratio, tum excitando nos ad eas querendas & Christo lucrificandas, tum impetrando necessaria nobis & illis ad hac auxilia. Pulchrè hæc expressit S. Bernardus ferm. 57. in Cant. post med. Ponderans illa verba Cant. 2. *Surge, propeta amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Audit, inquit, Sponsa vt surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam Diuino igne vehementer succederit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, vt ortum contemplationis pro studio predicationis liberrime intermitteret; & rursum posita votis, aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in id ipsum, quantum se fructuosius intermisisse meminerit. & iterum sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirendum lucra, solitâ alacritate recurrat. Et infra: *Vnicuique rei huiusmodi remedium seu refugium Oratio est, & frequens gemitus ad Deum; vt quid, quando, & quatenus, nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur. Habes vt ego opinor, tria hæc, id est, predicationem, orationem, contemplationem, in tribus commendata & designata vocabulis. Etenim meritò Amica dicitur, quæ Sponsi lucra studiosè ac fideliter, predicando, consulendo, ministrando conquirit. Meritò Columba, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens & suppli-**

Bb 2

cans. Diuinam sibi non cesset conciliare misericordiam. Merito quoque formosa, qua caelesti desiderio fulgens, superna contemplationis decorem se induit, horis duntaxat quibus commodè & opportunè id potest. Et post pauca: Perfectus omnis reputabitur, in cuius animà hæc tria congruenter atque opportunè concurrere videbuntur, ut gemere pro se & exultare in Deo nouerit, simul & utilitatibus proximorum potens sit subuenire: placens Deo, cautus sibi, virili suis. Qui autem ferid meditationibus attendit in Missionibus, consequitur à Deo illius beneficio hæc omnia tria. Quocirca l. 1. de Consid. cap. 7. Monens Papam Eugenium sic scribit: Quoniam dies mali sunt, sufficit interrum adinonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, & cordis & temporis sequestrare. Et post pauca, enumerat bona considerationis. Primum, quidem, ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur purificat consideratione: Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: Postremò Diuinarum pariter ac humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, qua agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum aut correctione egens. Hæc autem omnia necessaria sunt, ut sine damno nostro, & eum aliorum utilitate in Missionibus versemur. Non est ergo omittenda sed ferid adhibenda consideratio, intrinseca pars & essentialis nostrarum meditationum.

466. *Quæres, quantum temporis dandum Meditationi in Missionibus?*

Respondeo, duo tempora ei dentur. Primò, matutinum per horas, vti fit in Collegiis. Secundò, accedat frequens eleuatio mentis ad Deum, per orationes iaculatorias, quibus à Deo petamus, Primò, lumen ad tractandum ita animas, prout necesse est ad earum utilitatem. Secundò, gratiæ auxilia pro earum conuersione & pro profectu iam conuersarum. Tertio, Dei protectionem efficacem, ne vlli succumbamus tentationi, manendo extra nostra domicilia, quin potius, ut præter merita multa, aliquà in re meliores effecti, domum suo tempore redeamus. Si autem cum magno animi ardore, etsi breuissimè, & sæpius ita orabimus, sentiemus in nobis magnam deuotionis copiam.

467. Hinc S. August. epist. 121. scribit: Dicuntur fratres in Aegypto, crebras quidem habere orationes, sed eas breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si seruens perseueret intentio. Nam multam loqui in orando, est non necessariam rem superfluis agere verbis: multum autem precari, est eum, quem precamur, diurnam & piã cordis excitatione pulsare. Et plerumque plus genitibus quam sermonibus agitur, plus fleu quam assatu. Et talem orandi modum S. P. Ignatius etiam Scholasticis tempore studiorum commendabat. Et commendatur à Cassiano l. 2. de instit. c. 10. & ab Abbate Isaac Coll. 9. c. vltimo.

Quid faciendum, si fructus non respondeat labori Missionum.

468. Si non viderint fructum correspondentem suis laboribus, non affigantur, sed benè cepta continent. Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo. Ideò benè monet S. Chrysost. h. 41 in Gen. Non solum semel atque iterum hoc facite, sed semper. Nam etsi verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit, iterum tamen te videns irgentem, forte erubescet, & reueritus tuam curam, ab his qua offendunt desister. Quod si verè non obdierit dictis tuis, perge tamen. Nunquam dic, inquit idem: Quia semel & iterum & tertio & sæpius dixi, & nihil profeci. Ne quæcas dicere. Nam quando magis tu perseueraueris, tanto magis & merces tibi crescit. Satem ergo tibi proderis, si Auditoribus eorum culpã non proderis. Boni enim (ut obseruauit S. Greg. l. 15. Moral. c. 17. al. 21. in illa verba Iob: Audite quãso sermones meos & agite penitentiam) Boni, inquit, cum loquuntur, duo sunt qua in suis locutionibus attendunt: ut videlicet aut sibi, aut Auditoribus suis, aut sibi et Auditoribus proficiat, si Auditoribus prodesse non possunt. Cum enim benè audiuntur, bona qui dicunt sibi simul & Auditoribus proficiunt: cum verò ab Auditoribus deridentur, sibi procul dubio profuerunt, quos à culpã silentij liberos fecerunt. Nec tantum hæc ob causam profuerunt, sed & ob alias. Nam, ut docet S. Augustinus ser. 42. de Sanctis. Non quia ille remansit inanis, idèd vos perdidistis mercedem, reddetur vobis pro voluntate vestrà, reddetur vobis pro charitate quam impendistis. Continget id talibus quod Christus dixit Apostolis pacem annuntiantibus, quam si illi contemnerent, Ad vos reuertetur. Matth. 20. Meritò ergo S. Ignatius tales iussit imitari morem Angelorum, qui non turbantur dum eis non obeditur. Vide S. Chrysost. ser. in terræ motum & Lazarum col. 3. p. 96. to. 3. Ducazi.

469. Valet etiam pro solatio illud S. Chrysostomi h. de S. Phoca. Si, inquit, intrauerit lupus ipsum agnum efficio, quantum in me situm est, sin autem noluerit, non id vitio meo fit, sed ex ipsius improbitate. Quandoquidem Christus etiam duodecim Discipulos habuit, & vnus factus est proditor, verum non propter Christum, sed propter animam eius vitiatam: & Eliseus discipulum habuit auarum, at, non ob imbecillitatem doctoris, sed ob discipuli negligentiam. Vide h. de Anna initio, quomodo concionator nò perdit lucrum, etsi Auditor non emenderit. Et Conc. rde Lazaro: Vtinam, inquit, oratio nostrã profectus aliquid adferat. Quod si post nostram admonitionem in istam vitii perseuerauerim, ne sic quidem nos desistemus illis quod rectum est consulere, quandoquidem & aquarum vena, etsi nullus veniat aquatum manant tamen: & fontes quamuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt, & annes etsi nemo bibat, nihil

nilo secius stant: sic oportet & illum qui concionatur quamuis nullus auscultet, tamen praeslare quicquid in ipso situm est. Siquidem hac lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno prescripta est Deo, ac ne vnquam, quod quidem in nobis fuerit, defrauemur facere. Nec vlllo tempore sileamus, siue sit qui auscultet, siue sit qui decurrat, negligens quod dicitur &c. si decem modis persuasus fuerint: si quinque tantum, si vnus, nonne nobis hoc sufficit ad consolationem &c. Non erexi quidem egrotantes, attamen eos qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit quosdam a vitio sermo noster, sed tamen eos qui cum virtute agunt reddidi attentiores: supra hac quoque quiddam addam tertium: Hodie non persuasi, sed cras forte persuadere poterō. Quod si nimis cras, attamen perendes, aut quarto ab hinc die fortassis persuasero. Qui hodie quæ audiuit repulit, cras fortassis audiet & recipiet, fortassis post dies complures præbebit animum iis quæ dicuntur. Quandoquidem & illud crebro sit, vt piscator, qui per totam diem vacuum attraxit rete, sub noctem iam a-bire parans, capto, qui ipsum per totum sefellerat diem, postea descendat. Etenim si agricola protinus ab agricultura resiliat, quod semel atque iterum, aut sepius accidit inaequalitas, fame breui periremus omnes. Vide plura similia.

Idem Ribadeneira l. 5. c. 11. fin. dicit à S. Patre traditum: Si quid efficere in hominum salute cupiat, vel si quem ab exitio studeat ad salutem reuocare, vbi diligenter suo perfunctus sit munere, quoquo modo res cedat, æquissime sibi ferendum statuatur. Neque si ille ad quem tuandum incubuerit respuat medicinam, demittat idcirco animum. Angelorum tutelarium exemplo qui quos à Deo sibi commissos acceperunt, mouent, quoad possunt, defendunt, regunt, vrgent, ad bonum iuuant, sed si voluntatis libertate abutuntur illi, & inobsequentes atque obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur maerore, nulla afficiuntur molestia. Cur auimus, inquit, Babylonem & non est sanata. Præclara hæc est doctrina, & præbet magnum solatium iis, qui fideliter piscationi animarum attendentes, operatum finem non assequuntur, & dicunt Christo Domino cum S. Petro: Domine totà nocte laboramus, nihil cepimus.

Quod S. Pater docuit, hoc ipse seruat. Nā, vt scribit de eo Maffei 1. 2. c. 11. Si quem, omnia expertus, tamen è cano peccatorum extrahere nequississet, non idcirco contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset, sed conscientia & efficaci fructu contentus, acquiescebat in alto prouidentia Diuino consilio.

Nam labor iste in oculis Dei non est inanis, quia, vt ait S. Bernard. l. 4. de Confid. c. 2. Noli diffidere, curam exigeris, non curationem: Denique audiisti. Curam illius habe, & non cura vel sana illum. Verum dixit quidam: Non est in medico semper releuetur veger. At melius propono tibi de tuis. Paulus loquitur: Plus omnibus laboravi, non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi; verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem nouerat homo, quem docuit Deus, quia vnusquisque secundum suum laborem

accipiet, non secundum prouentum. Et ob hoc in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum putauit: sicut alibi habes ipsum dicentem: In laboribus plurimis. Ita, quæso, fac tu quod tuum est, nam Deus quod suum est faciet: satis absque tuâ sollicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, ser curam: & tuas expleuisti partes. Sanè incrementum, vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Vbi forte noluerit, tibi deperibit nihil. dicente Scripturâ (Sap. 10.) Reddet Deus mercedem laborum Sancto-rum suorum. Securus labor, quem nullas valet euacuare defectus. Quia, vt ait S. Chrylost. epist. 14. ad Olympiadem, Quod in pecuniis vsu venit, atque etiam in viduâ illâ contigit, hoc quoque in negotiis locum habet. Vt enim illa duobus dumtaxat obolis col-latis, omnes qui plura contulerunt, superauit, vt quæ vnuerfas opes suas profudisset; eodem etiam modo, qui in negotia omni animi contentione incumbunt, quantum quidem in ipsis est, omnia consecerunt (etiam si alioqui nihil inde vtilitatis manarit) mercedemq; suâ, numeris omnibus absolutam, habent.

Habemus huius rei etiam alia præclara testi-monia reuelata S. Briggittæ. Inprimis l. 4. Reuel. c. 21. B. V. Maria sic S. Briggittæ dixit: Amici Dei non habent attendari in seruitio Dei, sed laborare, vt homo malus, fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectio-ræ. Nam quicumque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quod Iesus Christus esset verè Dei Filius, & faciendo conaretur, quantum posset, ad aliorum conuersionem, licet nulli vel pauci conuer-terentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes conuerterentur. Sicut per exemplum dico tibi: si duo mercenarij ex precepto Domini soderent montem durissimum, & alius inueniret aurum electum, alius verò nihil; Iste propter laborem & voluntatem, digni essent equali mercede Et iterum in eodem lib. c. 31. Mater Dei sic locuta est: Qui conducit operarium ad laborandum, dicendo ei, porta arenam de litore, & inquire in quolibet onere, si forte ibi inuenire poteris granum aurum; non minor erit merces eius, si nihil inue-nerit, quam si reperiret, multum. Sic est etiam cum il-lo, qui verbo & opere, ex Diuinâ caritate laborat ad profectum animarum; non enim erit minor merces illi, si nullos conuerteret, quam si multos. Sic Magister dixit exemplum; Ille, inquit, bellator, qui ad preceptum Do-mini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi, rediret sanciat, nullum habens captiuum, non minorem mercedem obtineret amisso bello, propter voluntatem bonam, quam si victoriam fuisset consecutus. Sic est etiam cum amicis Dei. Nam pro quolibet verbo & opere, quod faciunt propter Deum, & vt ani-ma emendetur, nec non, & pro quolibet horâ tribula-tionis quam patiuntur propter Deum, coronabuntur, siue multi conuertantur siue nullus.

Facit ad hoc propositum aliud monitum S. Chrylostomi hom. 3. in 1. Corint. ante finem: Si hodie nemini persuaseris, persuadebis postredie; & si nunquam persuaseris, mercedem tamen integram ha-bes; & si non omnibus, paucis tamen ex multis persua-dere poteris. Nam neque Apostoli vniverso orbi persua-ferunt, licet cum omnibus disputarint, & mercedem in-

UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN

omnibus affecti sunt. Siquidem Deus non nostrum bonorum operum euentum, sed iuxta factorum propositam coronas largiri solet. Etiam si duos obolos conferas, & quod vidua fecit, idem in docentibus operabitur. Noli igitur cum orbem terra facere saluum non possis, etiam parua contemnere. Neque maiorum desiderio à paruis te abstrahas, si centum nequis, decem curam suscipias, si decem non possis, noli quinque despiciere; si quinque, vires tuas excedunt, vnum ne contemnas. Quid si ne hoc quoque possis, noli desperare, noli labori cedere. Nonne vides, in negotiationibus, non auro dumtaxat, sed & argento Mercatores negotiantur. Nam si parua nil contempserimus, assequemur & magna. Sin autem neglecti nobis illa essent, neque hac facile assequi possemus. Sic singuli diuites euadunt, cum magna simul & parua colligunt.

473. Præclarum est & illud S. Xauerij monitum apud Turcell. l. 6. c. 18. Monebat, inquit, vt cultores animarum, non fortius quam perseuerantiis eorum perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugemq; seminis facta laborumq; (quamuis sera spei) fructum, velut boni Christi agricola expectarent: haud ignari, qui seminant in lacrymis, in exultatione messuros Psal. 124. Quod si talibus initio non viderentur, quales expecterent, ita se cum illis gererent, vt cum improbi filii boni parentes, Deiq; benignitate freti, qui hominum mentes suo demum tempore ad bonam perducit frugem non dissiderent eos aliquando tales fore, quales operarent. Proinde nunquam desinerent eos omni studio colere, praesertim cum Deus omnium communis parens, quamuis lesus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat. Quin & Seneca epist. 7. Bene, inquit, & ille, quisquis fuit (ambigitur enim de auctore) cum quæreretur ab illo: Quid tanta diligentia artus spectaret ad paucissimos peruenire: satis sunt, inquit, pauci, satis vnus est, satis nullus. Egregiè hoc tertium.

CAPVT VNDECIMVM.

Contradictiones tempore Missionum quomodo tolerande.

474. **N**on cedant contradictionibus & impedimentis, quæ Sathan per se, vel per homines obicit, sed inuictâ ac exemplari patientiâ ac mansuetudine excipiendo ictus (tanquam boni milites Christi aduersariorum), & silentio eos reprimendo, ac offerendo Deo, pergant in spiritali piscatione, vt perrexerit Paulus scribens 1. Cor. Ostium mihi apertum est magnum, & aduersarij multi. Quod ponderans S. Chrysol. hom. 43. Si magnum, inquit, quomodo aduersarij? Et paulo post responder: Quod multi aded reluctentur, indicium est Euangelicæ victoriæ. Nusquam enim nocentissimus ille aduersarius irritatur grauius, quam cum suorum instrumentorum multa sibi eripi videt. Verùm nos ubi magnum aliquid & egregium facere statuimus, nequaquam constitutum id labore sit cogitemus, sed vililitatem magis respiciamus. Vides igitur exem-

plum eius in Paulo, qui nihil quod multi essent aduersarij cessat, & captum negotium refugit: verùm quod magnum pateret ostium, inflat diligenter negotio, & istis permanet: hocq; vt supra dixi, signum erat, eius cum diabolo luctæ. Aduersus eos enim qui humilia & leuia operantur, nihil inuehitur letalis illa bestia.

Quocirca Missionarij gerant se, vt decet Christi milites, de quibus sic Christus Dominus ad S. Brigittam, quasi describens nostrorum Missionariorum condiciones requisitas ait l. 1. c. 6. Mitto amicos meos, vt diuidant diabolo à membris meis, quia ipsi sunt verè inimici mei. Mitto ergo eos quasi milites in bellum: omnis enim qui affligit carnem suam, & abstinet se ab illicitis, verè miles meus est: ipsi habebunt pro lanceâ verba mea quæ ore meo locutus sum: In manu gladium, id est fidem: In pectore coram erit lorica charitatis, vt quidquid acciderit, non minus diligant me: Clypeum patientia debent habere ad latera, vt omnia patienter sustineant. Ego enim inclusi eos quasi aurum in vase, & nunc exire debent, & incedere viam meam. Ego non poteram secundum iustitiam ordinatam ingredi in gloriam Maiestatis, absque tribulatione cum Humanitate meâ, quomodo ergo ipsi intrabunt? Si Dominus eorum patiebatur, non mirum si & ipsi pariantur. Si Dominus sustinuit verbera, non magnum si ipsi sustinebunt verba. Non timetis, quia ego nunquam relinquo eos. Sicut impossibile est diabolo separare eos à me, & quia ipsi sunt quasi aurum purissimum in conspectu meo, ideo si modico igne probentur, non tamen relinquo eos, sed est ad maiorem eorum remunerationem.

CAPVT DVODECIMVM.

Notanda pro Confessionibus audiendis tempore Missionum.

475. **I**n Confessionibus, etiam grauissimorum peccatorum, hæc seruent: Primò, magnam ostendant comitatem confitentibus sine vllâ acrimoniâ & asperitate verborum, & cum magnâ significatione sinceræ charitatis, & vt monet B. Laurentius Iustinianus serm. de Christi corpore, Sit erga proximorum errata compassione compatibilis. Hac enim ratione magis inuabunt animas, & adducent, vt sincerè sua omnia aperiant vulnera ac morbos animæ.

De S. Xauerio nostro scribit Turcell. l. 6. c. 17. Confessarius, inquit, magnoperè hortabatur, vt in confessionibus comiter benignèq; confitentes exciperent, quòd spiritualium medicorum lenitas eos pelliceret ad omnia conscientie sue vulnera; haud cunctanter aperienda. Hoc ipsum monebat S. Vincentius tract. de vitâ spiritali c. 10. In Confessionibus, inquit, sine blandè consoleris pusillanimes, siue durius terreas induratos, semper viscera caritatis ostendas, vt semper peccator sentiat, quòd verba tua ex purâ caritate descendunt. Et ideo caritativa verba & dulcia, semper pungitiua præcedant. Per pungitiua autem S. Vincen-

476
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 789
 790
 791
 792
 793
 794
 795
 796
 797
 798
 799
 800
 801
 802
 803
 804
 805
 806
 807
 808
 809
 810
 811
 812
 813
 814
 815
 816
 817
 818
 819
 820
 821
 822
 823
 824
 825
 826
 827
 828
 829
 830
 831
 832
 833
 834
 835
 836
 837
 838
 839
 840
 841
 842
 843
 844
 845
 846
 847
 848
 849
 850
 851
 852
 853
 854
 855
 856
 857
 858
 859
 860
 861
 862
 863
 864
 865
 866
 867
 868
 869
 870
 871
 872
 873
 874
 875
 876
 877
 878
 879
 880
 881
 882
 883
 884
 885
 886
 887
 888
 889
 890
 891
 892
 893
 894
 895
 896
 897
 898
 899
 900
 901
 902
 903
 904
 905
 906
 907
 908
 909
 910
 911
 912
 913
 914
 915
 916
 917
 918
 919
 920
 921
 922
 923
 924
 925
 926
 927
 928
 929
 930
 931
 932
 933
 934
 935
 936
 937
 938
 939
 940
 941
 942
 943
 944
 945
 946
 947
 948
 949
 950
 951
 952
 953
 954
 955
 956
 957
 958
 959
 960
 961
 962
 963
 964
 965
 966
 967
 968
 969
 970
 971
 972
 973
 974
 975
 976
 977
 978
 979
 980
 981
 982
 983
 984
 985
 986
 987
 988
 989
 990
 991
 992
 993
 994
 995
 996
 997
 998
 999
 1000

& Salmeroni, dum ad Concilium Tridentinum tanquam Theologi à Paulo III. Pont. Max. mitterentur. Quòd cum multis aliis narrat Orlandinus l. 5. hist. Soc. n. 25. In auscultandis, inquit, ritè peccatis sic habetote, quidquid in aurem confitentis dixeritis, predicandum super tecta: ac proinde eà semper animi provisione ad auscultandum accedatis, ac si dicta vestra omnia enucianda essent in vulgus. Quòd maxime in agendo obseruandù esse cum infidelibus & hæreticis docuit S. Ambr. in c. 4. Colof. explicans illud Apostoli: Sermo vester in gratiã sit semper sale conditus; Quoniam, inquit, necesse est ambulare nos inter infideles, & colloquia miscere causa conuersionis mundana, hoc est quod commonet, vt cum sapientiã sit ipsa conuersatio, propter scandalum gentilium ne occasionem accipiant per nos blasphemãdi, & incitentur ad persequendum. Idem monet, vt opportuno & loco & tempore magistrã modestiã religionis verba promantur.

Præterea sunt & alia Monita à S. Xauerio data l. 6. c. 17. seruanda à Confessariis Societatis. Et sunt hæc:

Si inter coniuges oriatur disidium, ad controuersiam tollendam, animosq; eorum sedandos, omnium primum illud ages, vt vterque idoneis meditationibus preparati sacram Confessionem antea inuoluntate uia. Feminis affirmantibus se emixtus diuinis rebus operam daturas, si abstineant à consuetudine virorum, neuiquam habeas fidem. Nam & ille muliebris feruor facili refrigescit, nec vnquam fere suscipitur, sine graui aliqua virorum offensione. Coram vxore tæue culpam conferas in maritum, quamuis haud dubiè penes illum sit culpa. Namque vt mulieres naturã suã impudentes sunt ac procaces, facile viris ipsorum noxas præsertim Sacerdotum iudicio damnatas, obiciunt. Quocirca satius est re dissimulatã, obseruantiam maritis debitam, proponere vxoribus, vt demissè ac patienter si quid molestia à viris accidat, præferant, eisq; dicto audientes sint. Sed re in præsentia suppressã, deinde sine arbitrio, virum quãmodi modestissimè admonebis, vt emixd domestica studeat concordia. Caterùm omni curã in id eris intentus, ne (quod suspiciosissimum negotium est) vxoris patronus videaris venire contra virum. Itaque is amicè ac sensim monendus est, primùm vt ipse culpam agnoscat.

Noli faciliè coniugis alterius de altero querelis fide re (sapè enim & falluntur & fallunt) sed summã animi equitate vtrumq; audies, nec incognitã causã condemnabis alterum. Si qui ad Confessarium accederent, non tam peccatis, quã paupertati ac difficultatibus rei familiaris remedium petunt, hos de vsu sacra confessionis admonitos, ad curam traduci iubeat animorum, demonstrando, quãto grauiora animarum incommoda sint, quã corporum: postremò si videretur, Sodalitati misericordie commendari.

Confitentibus porò non festinatam, sed diligentem nauandam operam censebat, monens, vt peroptarent, confessiones paucas ritè factas audire, quã multas temerè preparatas. Qui enim confitentes, intentiùs excuti posse: qui eorum odiis, fraudibus, vitis adhiberi re-

media nisi per otium curarentur: An verò dubium esse, quin confessio vna rectè instituta, multis cursim peractis præferenda sit? cum præsertim confessio aditum aperiat ad Sanctissimam Eucharistia Sacramentum.

Postremò monebat Confessarios, vt sumpto spatio, in auditas à se confessiones inquirentes, viderent intentius, ecquid in delictis aliorum expiandis ipsi deliquissent; & quæcunque in alienis peccassent Confessionibus expiarent suis: eaq; delicta in posterum summà vi corrigere niterentur. Hoc quippe studium, ad rectè atque vtiliter Confessarij munus obeundum, maximo adiumento futurum.

Addam his alia salutaria monita ab eodem Xaverio data Patri Gaspari Barzeo Armuzium ituro, & alijs PP. in Missione Indicâ constitutis, vti scribit Turfel. l. 6. c. 12. Si quando incertorum dominorum pecunia restituenda sit, eam magnopere censo Sodalitatis Misericordie potissimum attribuas (idem autem intelligendum, de aliquo alio fidei contubernio, etiam opificum, vbi fodalitas nulla est) Etsi enim non desint egentes, quorum inopia talibus subleuetur auxilijs, sæpe tamen mendicantium fraus, aut infamia, hoc negotium inquinare solet. Quæ pestes quemuis facilius quam Misericordie sodales salant, quorum prudentiam satis vsus erudiunt ad præcauendum.

Idiotis hominibus, (idem & de alijs dici potest, etiam fæminis) confessione expiatis, pœna loco imponatur offensa ratio erandi animæq; curanda ad certum tempus: vt paulatim assuesfactos salubris illa consuetudo deinceps sequatur. Exploratum habeo (addit S. Xaverius) multis eam rem saluti fuisse. Eadem ratio, in tabellâ per scripta proponitur in templo, vt potestas describendis sit iis qui vti velint.

CAPVT DECIMUMTERTIVM.

Diffidentia fugienda tempore Missionum.

485. **E**T si bona sit diffidentia sui, immò necessaria, vt magnum fructum faciamus, talis tamen esse debet, ne pusillanimitatem inducat, præsertim, si oriatur ob doctrinæ excellentis defectum. Diffidentia enim fundari debet, in omnium humanorum, mediocrum etiam præstantissimorum insufficientiâ, & in indignitate nostrâ, ac ineptitudine ob nostra peccata, ad omnem fructum faciendum, quia, vt ait Apostolus 2. Cor. 3. 4. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui etiam idoneos nos facit ministros noui Testamenti.

Gal. 1. Si ergo Paulus Spiritu sancto plenus, & ab ipso Deo, traditâ Euangelij doctrinâ, immediate edoctus, erat insufficientes ex se, multò magis nos, etsi haberemus doctrinam cælitus infusam, sumus insufficientes, sed cum Dei auxilio, quod

dat diffidentibus in se, & sperantibus in eo, etiam si fuerimus destituti doctrinâ sublimi, sed solis calibus conscientie instructi, erimus idonei ministri, si quæ nostri sunt muneris exequemur. Nam non talentis naturâ, nec scientiâ acquisitâ conuertuntur animæ, sed dono Dei, qui per viliâ instrumenta, vti mundum conuertit, ita & nunc conuersum dilatat.

Quocirca S. Xaverius pro Missionibus in operarijs expetebat Prudentiam magis ac sanctitatem, quàm scientiam & doctrinam: vt supra dictum est. 1.6. vit. c. 12.

Idèò vt notat S. Augustinus Tract. 7. in Ioan. Etsi Christus D. laudauerit Nâthanaëlem tanquam verum Israëlitam dolo carentem, quantum esset doctus, & legis peritus, non aggregauit tamen illum Apostolis, è rudibus hominibus selectis, vt ostenderet, se non habere opus ad conuersionem hominum viris doctis, sed per rudes & simplices id præstare: vt reuera in Societate obseruauit, non tantum in Indijs, sed & alibi plures conuerti à non valdè doctis, quàm à summè doctis, & impetum hæreticorum sæpius ab illis, quàm ab his retundi. 484

Quod S. Basilus epist. 77. pulchro declarat exemplo arenæ maris, fluctus comprimentis marinos. Non ad humanas, inquit, vires refero, sed ad gratiam Dei, quæ in mortalium imbecillitate potentiam suam declarat, quem admodum Propheeta sub persona Domini loquitur dicens: An me non timebitis, qui arenam mari terminum posui? Arenâ namq; rerum omnium infirmisimam, & nullius momenti, amplitudinem ac magnam molem maris colubuit Deus potens. 486

Sic olim per rudem Antonium magnos Philosophos confudit & vicit, vt inter alios scribit Calthodorus l. 1. tripar. Hist. c. 11. & S. Athanasius in vitâ eius.

Itaque ob doctrinæ excellentis defectum nullus diffidat, sed speret in Deo, qui etiam linguas infantium facit disertas. Tantum præbeat se aptum instrumentum, & sit ei coniunctum, per vitam puram, per orationem feruentem, per humilitatem, per spem: & incrementum dabit Deus nostræ plantationi & irrigationi, vti fecit ad prædicationem Samaritanæ rudis & indoctæ.

Petrus & Andreas, inquit S. Bernardus ser. 25. in Cantica, ceteriq; Discipuli omnes, non de scholâ Rhetorum aut Philosophorum assumpti sunt, & nihilominus tamen Saluator per ipsos operatus est salutem in medio terra. Vidi homines idiotas, ait B. Macarius Eremita de parad. & Lege Spir. c. 8. humiliter optere sapientes, & facti sunt sapientiores sapientibus. Instillatur enim diuinitus probis viris scientia cælestis, vt scribit B. Petrus Damiani epist. 105. ad Atriprandum Monachum mœstum ob ignorantiam secularis literaturæ; quem ille epistolâ integrâ solatur. Non est beatus multa scire, inquit S. Ildorus Hispalensis l. 2. Sent. cap. 1. n. 12. Sed esse magnum, beate viuere. Et n. 13. Nihil obesse scientibus Deum, 487

Deum ignorantiam mundi. Et ita S. Chrysoſtomus
procedit in epiſt. Rom. cum exemplo Pauli exci-
taret alios ſeculares, vt inſorment ad bonos hone-
ſtaſq; mores vxorem, liberos, amicos vicinos: Subdit:
Neque verò mihi quiſquam dicat, rudis ſum & impe-
ritus: Petro nihil indoctus, Paulo nihil imperitus &
hoc ille proficebat (2. Cor. 11.) nec eum hoc ſaten-
tem pudebat: Eſt imperitus ſum ſermone, non tamen
ſcientiâ. Sed tamen hic imperitus, ille indoctus ſexcen-
tos Philoſophos ſuperarunt, ſexcentis Rhetoribus obtu-
ratarunt, ſuo ipſorum ſtudio, propenſaq; voluntate, &
Dei gratiâ omnia peragentes. Quamnam ergo vſur-
pationis deſenſionem, qui ne viginſi quidem nominibus
capitibusq; ſufficimus ac ne his quidem, quibuscum ha-
bitamus, viles nos preſtamus: Cauſario hoc & excuſa-
tio neque enim inſcitia & imperitia dicendi munus
prohibet, ſed ſegnitias ac ſomnolentia. Hac igitur ſom-
nolentiâ excuſa, cum omni ſtudio membra domeſtica
curanda ſuſcipimus, emixq; amplectamur, vt cum
hoc in vitâ magnâ tranquillitatem aſſequamur, pro
noſtro erga Deum timore, neceſſarios noſtros ad mo-
rum rectitudinem componentes: tum in ſutura inſini-
torum honorum participes efficiamur, gratiâ & ſum-
mâ erga nos benignitate Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

In Conuerſione hereticorum quomodo pro-
cedendum.

487. Pro conuerſione hereticorum ſint nobis
cordi Monita data à P. Petro Fabro, de qui-
bus hæc habet Oſland. lib. 4. hiſt. Soc. n. 92. refe-
rens epiſtolam P. Fabri ad P. Laynez. Iſi qui pro-
deſſe velint huius aratis hereticis, Primam videndum
eſt, vt magnâ aduerſus eos caritate preſentent, eoſq; dili-
gant, pulſis ex animo cogitationibus illis, quæ quo-
quo modo illorum apud nos exiſtimationem mi-
nuant.

Proximum eſt, vt eorum nobis animos voluntateſq;
captemus ſic vt ij viciniſſimos ament, & de nobis opti-
mè ſentiant. Id facile conſequemur, ſi eos comiter allo-
quamur, & in familiari ſermone de iis dumtaxat a-
gemus, de quibus inter vtroſque conueniat omni alter-
catione ſublata, vbi pars videlicet altera alteram vi-
detur abicere, vel deprimere. Agendum quippe iis de
rebus eſt prius, quæ voluntates conglutinant atque con-
iungunt, quàm de iis, vbi ſententiarum inter ſe pugnan-
tium diſſimilitudo naſcatur. Quoniam autem hæc Lu-
therana ſectâ filiorum eſt ſubtractionis in perditionem,
& prius in eis rectè agendi pietas, quàm recta fides ex-
tinguitur, faciendus eſt gradus ab iis, quæ pertinent ad
rectè ſentendum, de moribus operibusq; ſuſceptæ fidei
conſentaneis. Si quem igitur ſuſcipimus curandum, qui
non modò prauitatis erroribus, verum etiam perditis
moribus ſit imbutus, omni inſinuatione vtendum, vt eum
auocemus à vitiis, priuſquàm verbum vllum de prauis
ſuis opinionibus faciamus.

Quoniam autem in cæteris Lutheranorum errori-
bus iſt eſt ſermè communis, vt humanas actiones & ſa-
cta ſuis meritis ſpolient, contemptiq; rectè factis om-
nia in fide reponant, idcirco faciendum nobis eſt, vt in
eorum congreſſibus atque colloquijs, ab operibus ac rectè
factis progrediantur ad fidem, iſis perpetuo ſermonibus
inferendis, quibus eorum ad amorem ſtudium excitentur.
Vt cum negat hereticus Eccleſie licere, propoſitâ
capitalis peccati penâ quenquam alligare palmodie vel
liturgia, tum iſti adhibenda eſt cohortatio per acris, quâ
cum ad orationis ac Miſſæ, tum ad alia huiusmodi inci-
retur officia: quoniam iſte ab audiendi rectè ſacri, pſal-
lendiq; pietate, certis ſtatutiſq; temporibus prius exci-
dit, quàm à fide.

Obſeruandum eſt autem ſanè diligenter id, in quo
Lutheranorum duces miniſtriq; niti ſolent, cum aduer-
ſus Eccleſie præcepta ſanctioneſq; Patrum ſuos tuentur
errores: id autem eſt, nimia imbecillitas virium ad ob-
temperandum ac tolerandum aliquid propter Deum,
ita vt eis Eccleſie leges atque præcepta ſupra vires m-
nimeq; ferenda videantur. Quocirca ad iſtoſ man-
dos & erigendos, plenâ ſpiritu cohortatione opus eſt, vt
in ſperu redeant & conſidere incipiant, fore, vt & ipſi
queant, non modò quicquid imperatur, verum etiam
longè maiora Deo adiuuante præſtare. Atque hic ego ſic
exiſtimo, ſi quis efficacitate doctrine, atque ardore ſpi-
ritus perſuadere Lutherò poſſet, vt excuſis ex animo
prauis ſuis opinionibus, (vivebat enim tunc Luthe-
rus) & recepto Religionis ornatu, ſeſe alaeri quadam
parendi voluntate, ad ea quæ imperantur explenda &
facienda conuerteret, fore vt eo ipſo, nullâ adhibita con-
certatione hereticus eſſe deſineret. Quamquam iſtus
quidem maiorem quandam vim copiamq; ſpiritus de-
ſiderat, & multo igne Diuino opus eſſet, vt ad hanc ille
ſubmiſſionem animi ac tolerantiam, conſimileſq; vir-
tutes, quæ tanta hominis mutatio poſtulat, perueniret.
Quod quoniam ſine præcipuâ quadam Dei ope perdi-
tis in hominibus, & iam prorſus euerſis, fieri nullo mo-
do poſſeſt, idcirco perexigua ſpes eſt etiam, ac pene nulla,
reducendi id hereticorum genus ad ſanam men-
tem.

Quamuis autem nullis alijs ſermonibus atque col-
loquijs, niſi de inſtituenda rectè vitâ, de virtutum pul-
chritudine, de orationis ſtudio, de ſupremo vitæ die, de
æternitate gehennæ, deq; alijs huiusmodi rebus, quæ vel
ad emendam Ethnicorum vitam, pertinent, cum
hereticis congrederetur, ne illo multò magis eorum a-
nimis ac ſaluti conſuleret, quàm ſi eos auctoritatum vi,
& rationum copiâ conaretur obruere. Denique ſum-
matim, vt dicam, id hominum genus, cohortationibus
& opportunis monitis eget, ad componendos mores ſuos,
& ad ſuſcipiendum metum pariter & amorem Dei,
amoremq; benefactorum, vt hac veluti medicinâ, ſuis
illi imbecillitatibus medeantur, ſaſtidiq; rerum diu-
inarum, & euagationibus mentis innumeris, quibus in-
ter cætera mala morboſq; laborant, qui non continuè
mentis apicem intelligentiamq;, ſed prius pedes ma-
nuſq; tum animi tum corporis, petunt &c.

Hæc monita pro his temporibus non ſunt
tam amplè accipienda, vt ſunt tradita à P. Pe-
tro

tro Fabro. Cuius tēpore cū fuerit initium Lutheranae heresis, ad quā Catholici, ob vitā dissolutā & sceleratā licentiam à Luthero exhibitā, per solius fidei ad salutē aeternā sufficientiam impiē commendatā, desecēbant, merito P. Faber adeo inculcat commendanda iis bona opera, tanquam fontem & causam ab eis neglectam, vel excusam retinendā recte fidei: sed nunc alius est hereticorum status, non ideo enim facti sunt heretici, quia malē uiuentibus placuit fides, præbens malā vitā perseverantiā, sed quia in heresi sunt cum lacte enutriti, & nunquam fuerunt Catholici. Quocirca etsi his quoque in quavis occasione parte proficit audire, ad morum persuadendam probitatem materias spectantes, tamen necessariō adiungenda est tractatio, rerum fidei controuersarū. Quae ut sit utilior, hæc obseruanda sū adeo.

489. *In primis*, Non perstringantur verbis aculeatis & punctoriis eorum Ministri seu Prædicantes. Talis enim verborum acrimonia, expellit beneuolentiam auditorum hereticorum, quæ magis necessaria est, quàm oratoribus, iuxta Rhetorum præcepta de Exordio Orationum tradita.

490. *Secundō*, Non asperitate verborum, sed rebus ipsis inducendi sunt Auditores ad non adhibendam fidem suis Doctoribus. Quod his capitibus assequi poterunt. *Primō*, si ostendatur eos præcludere viam ad cælum suis doctrinis, & omnem profus spem salutis aeternæ eis præcidere, dum docent, non posse à nobis obseruari Dei mandata, quæ ad consequendam salutem esse necessaria Christus ostendit, pio adolescenti querenti viam ad cælum Matth. 19. 17. Et descubendo extremi iudicij statum, in quo ob solam bonorum omissionem operum, Christus prædixit, multos damnatum iri ad ignem aeternum. Hac accedit & aliud dogma honestati morum eorum derogans. Si enim mandata seruati non possunt, ergo nulla vxor, nulla virgo, inter eos est casta, nullus dum peregrinatur maritus, fidem seruat vxori. Hoc enim mandatum seruatu est difficillimum. Quocirca & bonā famā spoliāt suos Ministri, & cæli aditum impossibile illis faciunt, præsertim cū, ut ait Apostolus Heb. 5. 9. *Christus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis*. Præterea cū doceant omnia nostra opera esse aliquo coinquinata peccato, quoad viuimus, & nullus sit post mortem, eorum iudicio, purgatorij locus, in cælum verò *nullus sit aditus coinquinatis*, teste Spiritu S. Apoc. 21. vlt. Nullus eorum cælos intrabit, quippe ad vltimum punctum vitæ coinquinatus in omnibus operibus, ac proinde etiam in opere ipso credendi, sibi esse condonata peccata. Accedit vita Prædicantium laxa laxior quàm Turcarum, quàm Iudæorum, qui stata habent ieiunia & carnis mortificationes. Cū tamen Christus dicat, *arctam esse & angustam ad*

Matt. 25.

calum viam ac portam Matth. 7. 14. Quomodo autem Deus harum sectarum authoribus ac Euāgelij reformatoribus maius in didisset lumen, quàm sanctis illis Episcopis veteris Ecclesiæ, qui in cælibatu & vitæ asperitate annos traduxerunt suos, in perpetuis orationibus, vigiliis, sanctimonia, per quæ omnia, magis erant apti ad cognoscendam fidem, quàm Prædicantes toti intenti rei vxoriæ & familiaræ, nullā præ cæteris suis quibus, etiam virtutis specie insigniti.

491. *Tertiō*, diligenter persuadendum est iis, Ecclesiam veram non posse errare in vilo dogmate fidei ac morum, tum quia non esset *columna ac firmamentum veritatis*, ut vocatur ab Apostolo 1. Tim. 3. 15. tum quia *porta inferi præualerent aduersus eam*, contra Christi promissionem; tum quia falsum esset aliud Christi promissum de Spiritu sancto venturo, & *mansuro cum eis in æternum* (scilicet, cū Ecclesiā, quam illi representabant, uti fundatores secundarij illius) tum quia falsum esset Spiritus S. promissum Ecclesiæ Ephes. 4. 11. & sequi habituram eam tales *pastores & doctores duraturos ad consummationem Sæculorum & adificationem Corporis Christi*, ac proinde vsque ad diem iudicij, quo consummabitur ædificatio Ecclesiæ, *quæ est Corpus Christi*, & futuros tales in suā doctrinā per quos ædificatur Ecclesiā, *ne possimus circumferri omni vento doctrine, & non fluctuemus tanquam paruu*. Merito autem fluctuaremus ut paruuli, si illi possent errare tradendo publicam Ecclesiæ doctrinam circa fidem & mores ac ritus Deum colendi. Merito circumferremur vento doctrine, si possent ab illis publicè docentibus tradi falsa doctrina communis Ecclesiæ toti.

Hoc fundamento iacto; si ostendatur falsitas (quod facilius est ostendere in vno quàm in pluribus) hoc ipsum apparebit penes illos non esse Ecclesiam Christi, quæ errare non potest. Quod si errauit in vno, *falsa est omnium res*, ut ait Iacobus Apostolus, de re simili loquens. Iacobi 2. 10.

492. *Quartō*, Hoc quoque instillandum est valdè, Ecclesiam Christi etiam tunc dum latitabat ob persecutiones, esse facile inuenibilem ab iis, qui eise ex Gentilismo & Iudaismo aggregari vellent. *Deus enim omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 1. Tim. 2. 4. Hæc autem veritas, est fidei doctrina. *Fides autem est ex auditu*. Rom. 10. 17. Ergo semper debent esse visibiles & agnoscibiles, qui possint veritatem fidei docere & audiri.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De industriis aliis ad iuandas animas con-
ducentibus.

494. **Q**uod si queras? Quis præterea seruandus
est in conuersatione cum hominibus mo-
dus, vt à Missionibus fructus referatur vberri-
mus.

495. **R**espondeo. Notandum esse id, quod scripsit
noster P. Balthasar Aluarez in epistola ad quen-
dam Religiosum Ordinem. S. Augustini: Ideò quò
proficimur seruire Christo, exiguum aut nullum ex la-
boribus nostris fructum percipimus, quia nec mundo,
nec nobis ipsis mortui sumus.

Deinde modum conuersandi tum in Missio-
nibus, tum in aliis occasionibus optimum fore,
& S. Ecclesie vtilissimum, nobisque magnos
meritorum cumulos allaturum, si conuerse-
mur iuxta exempla & monita relicta, tum ab
aliis Sanctis, tum à S. P. N. Ignatio, & à S. Fran-
cisco Xauiero, quæ omnia ex hitoris hic tran-
scribam, præter alia supra allata.

496. Sanè S. Basilii præf. in sua Asceticâ sic mo-
net suos: Age Christi miles, non quæris vt sobolem in
terris relinquas, sed vt in calum sursum educas: vt ani-
mabus videat præf. & spiritualiter liberos gignas.
Imitare Sponsum caelestem; insurgentes aduersum te
credo inuisibiles hostes, in fugam dato bellum cum po-
testatibus illis ac principibus gerito, studetq; vt eos ex
animo primum expellas tuo, neque omnino illis quic-
quam sit apud te loci, tum ex illorum etiam qui ad te
confluunt, teq; ducent sibi ac propugnatores adscis-
cant, quos tu scilicet doctrinâ tuâ incolumes serues. De-
le consilia aduersus Christi fidem, defectionem molien-
tia, ac nequam cogitationem pietatis verbo depugna,
secundum præceptum Apostoli (2. Cor. 2. a.) ita enim
ille: Consilia destruentes & omnem altitudinem extol-
lentem se aduersus scientiam Dei. Inprimis autem po-
tissima tibi in manu Dei spes posita sit, ea enim erus-
modi est, vt simul ac modo apparuerit, exterritos con-
fissim hostes vertat in fugam: vbi verò ille etiam pro-
bom ac bonum reddi te per pericula, suasq; copias cum
aduersariorum copis committere decreuerit, hic tu ita
te compara, vt nulli, quamuis magno, labori, succum-
bas: neque terrore periculi villo animum tuum de statu
finas dimoueri, alacer in alias atque alias terrarum ac
maris oras demigra.

Inprimis de S. Patre nostro sic scribit Maffei-
us l. 3. c. 11. Mira, inquit, fuit solertia in solicitandis
mortibus, & à diaboli seruitute ad Christi Domini
obsequium traducendis, ac quibus artibus demon ad a-
nimarum perniciem virtut, eadem ipse (quod liceret,
ac fas esset) ad hominum salutem ac beneficium trans-
ferbat. Voluntates ac naturas eorum quibuscum age-
ret, festine odorari, ambitiosè splendida, auaris vtilia,
voluptuosè iucunda proponere, & suo quod aiunt, ha-
mo vel esca quemque piscari. Iam in congressu maxime

Principum, id obseruabat inprimis, vt sermonis initia
illu daret, extrema reseruari sibi, cauebatq; ne de re-
bus etiam diuinis, ineptè vel ad satietatem vsq; fastidium
ageret. Tristem verò & horridam sapientiam (vique
postquam in lucem hominum prodire) semper vitauit:
cumq; virtutis nomen ipsum intelligeret, etiamsi mode-
stè tractetur, tamen satis odiosum esse, per se nihil in
habitu suo vel in genere vita, rarum aut notabile con-
spici voluit, ac semper sese quibus rebus honestè ac reli-
giosè potuit, ad communem consuetudinem accommoda-
uit: neque commisit, vt quod ipse non faceret, id in aliis
reprehendere putaretur: prorsus vt eius mores primâ
fronte vel eminus intuenti, vnus aliquis è populo vide-
retur esse: verum quo propius illum inspiceret, quò diu-
tius ac familiaris videret, eo magis præstantiam vir-
tutesq; viri, tanquam odorem ex affrictu sentires &c.
Atque vt bonus agricola, non tantum rectas ac fructuo-
sas arbores, sed etiam deprauatas, neque ita fertiles col-
lit, easq; adminiculis erigit, vel circumcidendo castigat,
vel sub alienâ latentibus vmbra calum aperit, vel tel-
luris vitio laborantibus mutat locum, sic ille rerum
difficultate nequaquam exterritus, dispiciebat inpri-
mis, quod ingenium, quâ ratione tractandum esset, iis-
demq; moribus sepe pro varietate natura, non diuersas
modò, sed & contrarias inter se medicinas attribuere
consueuerat. Sanè prudenter. Nam, vt docet S.
Bonaventura Prudens, vt rerum varietas exigit, ita
se accommodat temporibus (& personarum necessita-
tibus) non se in aliquibus mutat, sed potius aptans, si-
cut manus quæ eadem est cum in palmum extenditur,
& cum in pugillum constringitur.

Hoc est, quod de se Paulus Apostolus scribit
1. Cor. 9. 22. Omnibus omnia factus sum, vt omnes
facerem saluos. Et hoc modo excusat Platonem
sanctum magistrum suum S. Theodorus Studita
in orat. funebri quòd se accommodaret mor-
tibus eorum, quibuscum agebat: Neque quic-
quam in hac re, inquit, ipsius institutum accuset, sed
utilitatem inde proficiscientem consideret. Et quamam,
inquunt, hac est? Peccantium hominum penitentia, &
vita renuntiantium multitudo. Non vno itaque
modo agendum est cum omnibus. Aliter, inquit
S. Ambrosius in c. 4. Coloss. cum parentibus mun-
di, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus
agendum est. Aliter iterum cum mansuetis, aliter cum
iracundis, quibus cedere oportet. Quam materiam
fusillimè prosequitur S. Gregorius Papa tertia
parte cura pastoralis, in triginta sex præclaris
admonitionibus datis pro variis hominum sta-
tibus & conditionibus ac ætatibus. Ideò & P.
Iacobus Laynez vnus è primis S. P. N. Ignatij
locis, vt scribit in eius Vita Ribadeneyra lib. 3.
c. 16. Ad omnium ingenia faciliè aptare sermonemq;
temperare prudenter nouit. Cum pietate deditis, de re-
bus sacris, cum eruditis, docta colloquia miscere: cum
militè de re militari, cum fabris, de re fabrilis agere: vt
mox tandem de Deo sermo subiiceretur. Sic S. Isido-
rus Pelusiota l. 3. ep. 346. scripsit Lampetio Epi-
scopo: Quandoquidem inexpugnabilis atque contra-
dictione maior ea oratio est, cui aduersarij assentun-
tur,

prol spes
discipl.

497.

zur; idcirco ad quamque nationem ex iis qua apud eam moribus recepta sunt differendum est. Quod etiam ille sensorum Christi dispensator Paulus faciebat: apud Iudeos quidem de Scripturis disputans; apud Athenienses autem ab ara. Proinde enim ac si nihil de lege audisset, ab ara monendi materiam arripiebat: non quod aram plus auctoritatis quam Scripturas habere iudicaret, sed ut eos, qui nullam illi fidem arrogabant, ab ipso sumeret dogmatibus subigeret. Talis erat agendi cum hominibus modus S. Anselmi, de quo Eolmerus in eius vita l. i. sic scribit: Solito more cunctis se incundum & amabilem exhibebat, moresque singulorum in quantum sine peccato poterat, in se suscipiebat. Nam iuxta Apostolum (1. Cor. 9. 21.) his qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, cum sine Dei lege non esset, sed in lege Christi esset, se coaptabat, ut lucrificaret eos, qui non modo sine lege, ut putabatur, sancti Benedicte, sed & eos, qui seculari vite dediti in multis vivebant sine lege Christi. Unde corda omnium miro modo in amorem eius vertebantur, & ad eum audiendum famelicam aviditate rapiebantur. Dicta etiam sua, sic unicuique hominum ordini conformabat, ut auditores sui nihil moribus suis concordius dici potuisse fateerentur ille monachis, ille Clericis, ille Laicis, ad cuiusque propositum sua verba dispensabat. Similia scribuntur de S. Bernardo Abbate in eius vita l. 3. c. 2.

498.

Porrò Ribaden haec monita S. Patris, eius exemplo magis tradita, confirmat l. 5. eius vitae c. 11. Quia talis esse cupit vitis, imprimis aiebat sibi vacare debere, & ardere ipsum charitate, si alios velit incendere superare inanem metum, ambitionem tanquam pestem fugere, voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aspernari, & quicquid vitiosum est, a se repellere, ut omnibus turbidorum motuum radicibus evulsis, divinus satus, & in se aptius accipiat, & in alios vitibus effundat. Cum omnia vitia declinanda esse, tum ea cuiusque potissimum ad qua proclivior cuiusque natura sit: ab iis enim maximas impendere ruinas, nisi diligenter quisque sibi caueat. Illud praecipue quibus corporis constitutio biliosa esset ac feruentior, magnopere cavendum censebat, si cum aliis iracundis item hominibus, & natura biliosis versarentur: facile enim discordia nasci. Proinde qui talis est, ante se comparet, ac sapissime meditetur, qua ratione huic periculo resistat. Neque tamen in praesentia vehementer, natura refrananda eiusmodi pronisione animi vitandum censebat, solum sed in reliquis etiam vitiis debellandis.

Factis liberaliorem esse oportere quam verbis: ut quod in diem crastinam promiseris, id si fieri potest, hodierno praestes.

Concionatoribus, & iis qui de loco superiore populum docent, scribendum diligenter, & multò ante meditando, quid dicerent: nil temere afferendum: à novis dubiisque rebus abstinendum: & modestè hominum vitia castiganda potius, quam plausibilia, & quae aures delectant, persequenda.

Si quis quid petat, quod tuae personae indecorum iudices, ab indignatione temperandum, & id curandum, ut id quod postulatur neget, & amicum tamen eum, quod

postulat, benevoluntiam dimittas.

Si quis otiosus ad illum veniret, qui cum tempore inutiliter terendum esset, ubi semel illum, atque iterum admisserat, si congressum ille suum requirit, quoties venturabat, toties ipse aut de morte, aut de extremo iudicio, aut de sempiterno supplicio impius parato, sermonem instituebat, sic enim aiebat fieri, ut ille vel molestus esse desineret, vel certe si perseveraret, eiusmodi sermonibus aliquid in pietate proficeret.

Dicebat praeterea, in rebus gerendis, illud imprimis tenendum, ut te rebus, non res tibi submittas; hoc est, ut rei gerende, non tua commoditatis rationem dicas, negotiorumque utilitati diligenter servias & tempori.

Et quamvis ipse singularis prudentia fuerit, sentiebat tamen, in divinis rebus, qui nimis prudentes esse volunt, haud saepe magna prestare. Nunquam enim se ad ea qua pulcherrima sunt admovebit is qui eorum difficultates & anticipes eventus scrupulose cogitat, aut anxie nimis reformidat. Unde & Sapiens Prov. 23. Prudentia tua, inquit, pone modum. Neque enim decet sine modo eam virtutem esse, qua relinquatur virtutum modus, & mensura est. Haec S. Ignatius.

Videamus nunc, quae dederit monita Salmeroni & Paschasio, cum à Paulo III. Nuntiorum nomine, àmplà cum potestate in Hiberniam mitterentur anno 1542. Sic ea recenset Orlandinus l. 3. hist. n. 48. Monebat primum, inquit, sapientissimus Pater, cum omnibus quidem univere, sed cum inferioribus aequalibusque, praecipue habitam dignitatem cuiusque, ratione, oportere eos in loquendo moderatos & parcos, in audiendo autem faciles & patientes, ut tam diu ei, quem admitterent, patulas praebent aures, dum ille sensus omnes animi sui sibi expressisse videretur, ac tum demum breve responsum facile, subicerent, unde omnis instandi praecideretur occasio. Ad hominum vero benevolentiam divini obsequij gratia colligendam, imitarentur Apostolum, qui omnibus fiebat omnia, ut omnes Christo lucrificaret. Nulla enim re aequè ac morum studiorumque similitudine, benevolentiam conciliari. Itaque observatis cuiusque moribus, ad eos se quantum ius fasque permitteret, accommodarent: adeo, ut si quempiam animadvertenti acrem & irritatum, etiam ipsi lenitudinem inter agendum morosam excuterent, contraque tarditatem gravitatemque, tantisper induerent, si is cum quo agerent, circumspiceret, & in loquendo tardior appareret. Postea monet, quomodo biliosi se armare debeant, tractaturi cum biliosis, quod supra retulimus.

Deinde pergit: In vocandis hominibus ad virtutem, suis ipsum armis petendum Satanam docebat, isdemque vitandum artibus ad salutem, quibus ille abutitur ad perniciem. Quod S. quoque Basilij praecceptum fuit, in Reg. breu. interrog. 240. Quippe Satanam iusti viri animae petere aggressum, non continuo aperit consuevit fraudibus & insidiis, sed tactis, & quasi quibusdam cuniculis oppugnare: ac primò quidem nihil rectis eius actionibus adversari, nihil contradicere, quin potius calidam omnia dissimulatione probare; multa etiam que spectem praesferant honesti, astute suggerere, atque

atque ita sensim in eius familiaritatem sese insinuare, dum ad extremum simplicem hominem, & veteratioria fraudis ignarum, laqueis suis irretiat, implicatumque tenet. Idem ergo in allucendis ad salutem animis faciendum. Laudanda prudenter initio, qua sunt in hominibus recta, virtus parumper intus, ac leniter in eorum gratiam irrependum. Quae conciliata, tum deum admouendam morbis animi medicinam, ut cum ingressu eorum quodammodo fuerint, exitus nostri sint. Ad curandos autem eos qui perturbatiore tristioreque animo essent, hilaritatem vultus suscipiendam, & verborum comitatem, quam possent maximam, ut noxio affectu, in contrariam partem impulsio ad aequitatem sese animus reuocaret. Quod ad rem nummariam pertinet, nolebat illam ipsorum manu contingi; ne eam quidem, quam multa nomine, pro dispensationibus impetrasset: sed pecuniam omnem, quacumque, ratione collectam, per alios potius pauperibus diuidentem atque tractandam. Omitto alia monita iisdem data, siue quia iam supra alio loco relata sunt, siue, quia aliunde perspecta, praesertim ex Regulis Missionum nostrarum.

Porro Layni & Salmeroni dum ab eodem Pontifice ad Concilium Tridentinum anno 1545, mitterentur, haec praescripsit S. Pater, fusiùs narrata ab Orlandino l. 5. num. 23. & seq. quae ad quatuor Missiones cum fructu obeundas accommodari possunt.

Tria omnino, ut vniuersè loquar, in obeundo munere isto spectare vos volo: Primùm in ipso Concilio maximam Dei gloriam, communèq; Ecclesia bonum, deinde extra Concilium antiquum vestrum tuendi animas institutum: quod quidem potissimum nobis in hac perfectione vestra propositum est. Denique domi, & inter vos priuatam animi vestri curam studiumq; ne vos ipsos negligatis ac deseratis, sed assiduè vos culturà ac diligentia quotidie magis reddatis idoneos, ad sustentandas impositas partes. Et in Concilio quidem decet vos in loquendo tardiores esse, consideratos quidem certè, ac benevolos in decernendis, praesertim quae aguntur, quaeq; agenda sunt, rebus: in audiendo verò attentos atque sedatos, & ad perspicendam eorum, qui dicunt mentem studium nutumq; sagaces, quod faciliorem arripiatis ansam, siue respondendi cum vsu fuerit, siue silentio conueniendi. In disputationibus quae inciderint in vtrâque partem, momenta erunt afferenda rationum, ne vestro additi iudicio videamini, perpetuò il studendo pro viribus, ne quis vnquam ex oratione vestra, minus aequus placatusq; discedat. Rerum quas afferetis, neminem è vris auctorem appellabitis, praesertim de primario nobilitatib; nisi diu multumq; rebus agitur, atque perperis, aequi omnibus, obnoxij nemini. Si res quae in controversiam venerint, eiusmodi erunt, ut vocem vestram eliciant, dicetis sanè animo perquam sedato ac modesto sententiam vestram, eamq; hoc aut consimili claudetis exitu: Saluo meliore iudicio. Denique illud persuasissimum vobis esse debet, quod ad doctrinas pertinet, siue humano studio partas, siue haustas inditaeq; diuinitus, plurimum ad ea valere tractanda, si de us sensim sedando & quiescendo, non cursim & veluti ex Lancij Opusc. Tom. 2.

inere differatur: ac proinde aequum fuerit, disputandi rationem, non otio commodoq; vestro, sed eius quocumque aeger commodo & conditione metiri, ut quod Diuina voluntas duxerit ed feratur. Iam verò extra Concilium, nullum manus bene merendi de proximis praetermitteris. Quin aucupande occasiones erunt, modò audiendi & condonandi peccata, modò habende orationis ad populum, interdum etiam excitandi homines ad caelestia per salutaris contemplationis otium, nunquam imbuende Christi lege puerilis aetatis, deniq; conuiscendi & fouendi nosocomiorum agrotos: ut vis diuini spiritus in omne Concilij corpus & descendat affluentiùs, quò fuerit tot humilitatis & caritatis officijs euocata feruentius. In concionibus nullum locum attingerit, vbi cum Protestantibus non conueniat Orthodoxis, sed ad mutandos mores, & ad persuadendam Catholicae Ecclesiae obedientiam, omnis vestra spectabit oratio. Hoc S. Pater meritò praescripsit, quia conciones erant Catholicis solis habendae. Sed cum Missiones ad puros haereticos instituuntur, praestat vnâ partem concionis impendere in refutandis haeresibus, sine acrimonia tamen verborum, & contemptu haereticorum, quo alienarentur ab audiendâ salutari doctrinâ. Deinde S. Pater pergit sic:

Crebra mentio, extremis praesertim concionibus, sacrisq; Scholis, erit ingerenda Concilij, pro quo Deo populum supplicare iubebitis &c. Sua verò peccata confessis, statuetis penitentiae loco preces aliquas pro secundo euentu Concilij. In explicandis item spiritualibus Exercitijs, ut etiam in omni colloquutione priuatâ, ut in publico vos putetis habere sermonem, & quicquid priuatim dixeritis, praedicandum super tecta. Et in exhibendis iis, quas dixi meditationibus, id vniuersè tenendum erit, ne cuiquam ad commentandum alia proponatis argumenta, praeter ea, quae primâ hebdomadâ proponuntur, nisi forte per paucos, & iis, qui de vita genere, per electionis locos deliberare velint. Quos tamen ipsos non permitteris vllis se votorum sponsonibus obligare, nec arctioribus inter initia cubiculis includeris. Quin etiam Exercitij Leges, atque praeccepta cuique erunt mitiganda pro tempore: idq; tum maxime, cum vni omnia meditationum argumenta praescribenda videbuntur. In erudiendâ pueritiâ, docendi ratio ad aetatis imbecillitatem accommodanda erit, instillandis sensim Christiana legis elementis, & pro auditorum genere captusq; enucleandis. Quam legis explanationem claudet item per breuis cohortatio, ad placandum precibus Sancta Synodo Deum. Publica valetudinaria quarto quoque die frequentabitur alternatim, horis scilicet non importunis agrotis, quorum & peccata ritè soluetis, & dolorem consolando lenietis, non orationis modo praesidio, verum allato aliquo pro facultate munusculo. Eisdemq; ut inchoati Concilij, in suis sint memores preces, ad monitionibus, admonebitis. In omni hominum congressu colloquiorq; captandum erit tempus cohortandi homines ad penitentiam, & sacrosancta mysteria capienda, praeposito ante oculos, non modò cuiusque priuati bono, verum etiam Christiani Orbis vniuersi tenente Concilio. Denique ut quaestionibus finiendis vtilis est sermo

Cc consi-

consideratus & parcus, ita excitandis ad pietatem animis prolixus, apta, benevolentia affectusque plena commendatur oratio. Restat tertium, quod in munere isto pro dignitate gerendo spectare vos conuenit, quod quidem in vobis ipsis tuendis conseruandisque, postquam dicebamus. Quoniam enim vos non ignorare necesse est, quae professionis sunt vestrae, tamen hoc imprimis meminisse aequum est, vt summa sit inter vos animorum conspiratio, mutua consiliorum omnium sententiarumque Societas: neque suo quisque iudicio prudentiaque, fidat. Et quoniam propediem Claudius Lais, quem Cardinalis Augustinus Procuratorem suum ad hoc Concilium mittit vna etiam vobiscum coniungetur, horam aliquam dicabit de nocturnis, tum cuiusque diei actibus inter vos conferendis; tum quae postmodum videbuntur agenda, priuataque vestras, siue per vocale suffragium, siue quapiam ratione deliberationes habebitis. Deinde quod maiore vos humilitate, & mutua inter vos comitate contineatis; rogabit quisque singulis noctibus alternatim reliquos socios duos, vt ipsum corrigant, & vbi visum fuerit liberat oratione castigent: nec castigantibus causam facti reddet, nisi postulatus & inius. Matutinis temporibus, quemadmodum per diem gerere vos oportet vna deliberabitur, rationemque, vita vestra, quotidie semel atque iterum, a vobis ipsis repositis. Haec S. Pater. Vide Orland. l. 3. n. 30.

501.
l. 2. Reu.
cap. 14.

Quoad modum concionandi & colloquendi cum aliis, Christus Dominus haec praescripsit amicis suis per S. Brigittam: Tribus generibus hominum amici mei succurrere possunt. Primum damnatis, Secundum peccatoribus, scilicet cadentibus in peccata & resurgentibus: Tertium, bonis stantibus. Sed potes quare, quomodo quis potest succurrere damnatis: cum indigni sint gratia, & impossibile est eis redire ad gratiam? Ad quod ego volo respondere tibi per exemplum. Sicut enim, si in profundissimum aliquod praecipitium essent infinita fossae, per quas qui in profundum caderet, necesse esset, vt descenderet: si aliquis autem obstrueret aliquam illarum fossarum, non tam profunde propter obstructionem descenderet, sicut alter, si nulla fossa esset obstructa, sic etiam in damnatis est. Quamuis enim ex iniustitia mea, & malitia eorum indurata, praesentio tempore, & praesentio damnandi sunt, leuius tamen supplicium ferret eis, si per aliquem a malis aliquibus refranarentur, & incitarentur ad aliquod bonum. Ecce quam misericors sum etiam in damnatos, quibus etsi misericordia diceret parcere, iustitia tamen, & eorum malitia contradicit.

Secundum, possunt succurrere cadentibus & resurgentibus, si docent eos quomodo resurgant, praecautos contra casum faciunt, instruunt quomodo proficiant, & cupiditatibus suis resistant.

Tertium, possunt proficere iustis & perfectis. Nunquid & ipsi cadunt: vtrique sed ad maiorem eorum gloriam, & diaboli confusionem. Sicut enim miles in bello leuiter percussus, amplius ex percussione excitatur, & ad bellum fortius exaccitatur, sic electi mei ex temptatione diabolica aduersitatis, amplius excitantur ad spiritualem laborem, & humilitatem, & ed feruentius proficiunt ad coronam gloriae acquirendam. Ergo verba mea ab ami-

cis meis non occultentur, quia adiuua gratia mea, amplius ad deuotionem meam possunt excitari.

CAPVT DECIMUMSEXTVM.

De ratione formandae Concionis. Instructio scripta a Roberto, Bellarmino Societatis Iesu, postea S. R. E. Cardinale.

Primum, Finis Christiani Concionatoris esse debet, docere fideliter, quae populum oporteat, vel deceat scire ex diuina doctrina: & simul mouere ad virtutes consequendas, & vicia fugienda. Quare necesse est, vt qui vtiliter concionari desiderat, primum omnium sibi praefigat scopum, quo dirigat totam concionem suam, & singulas eius partes. Vt exempli gratia, dicere debet apud se: Euangelium hodiernum hortatur ad Penitentiam. Volo igitur Deo iuuante operam dare, vt in animis auditorum ingenerem desiderium vere penitentiae, ac propterea colligam rationes, testimonia exempla, & alia quae ad hunc finem obtinendum iuuabunt. Pari ratione examinare deberet singulas partes suae concionis, & videre, an ad finem propositum faciant. Hinc enim multi non modo inutiliter, sed etiam cum periculo animarum suarum concionantur, qui nullam sibi finem proponunt, nisi consumendi vnam horam dicendo, aut certe arguti sententias & varietate rerum ac verborum detinendi auditores. Isti enim vt finem verum non habent propositum, ita etiam non assequuntur, licet multum fatigentur & sudent.

Secundum, ad docendum, qui est vnus ex finibus concionatoris, non satis est de singulis Euangelij vocibus aliquid dicere, vel ex singulis conceptus, vt vocant, quosdam elicere vt quidam faciunt, qui non verbum Dei, sed verba predicant: sed necesse est, verum, germanum, & literalem sensum eruere, & inde dogmata fidei confirmare, vel praeccepta viuendi tradere, ac breuiter id docere, quod Spiritus S. per ea verba doceri voluit: id enim verum est populum pacifere, & intrare verbum Dei.

Tertium, ad mouendum ad studium virtutum, qui est alter finis concionatoris, non satis est irasci in peccatores & vociferari, inanes enim clamores terrent aliquando simplices, sed videntur a sapientioribus, & certe in neutris solidum fructum operantur. Itaque oportet veris rationibus, quae ducuntur, a testimoniis Diuini, a causis & effectibus rerum, de quibus agitur, ab exemplis, & appositis similitudinibus, conuincere primum mentes auditorum, vt facili cogantur ita esse viuendam, vt concionator dicat: ac tum demum verborum copia & efficaciam sententiarum, & variis exclamationibus impellendus sunt, vt velint seruo id, quod velle se debere cognouerunt.

Vnde autem argumenta & exempla peti possint, paulo post explicabitur.

Quartum, tria sunt necessaria ad fines praedictos consequendos: zelus Dei, siue feruoris, ac spiritus vehementia sapientia, & eloquentia. Quae tria significata sunt linguis igneis, quae super Apostolos apparuerunt, cum a

Deo creati sunt primi Euangelici predicatorum. Ardor ignis, zelus, splendor, sapientiam, forma lingue, eloquentiam designabat. Eloquentia sine charitate & sapientia, est cymbalum tinniens, & inanis garrulitas. Sapientia & eloquentia sine charitate, res est plane humana & mortua. Charitas sine sapientia & eloquentia, est instar viri fortis, sed inermis.

Quintid. ad zelum seu spiritum hauriendum, cui potissimum studere debet Christianus Orator, nihil prodest magis, quam oratio ad Deum assidua; rerum celestium continua & seria cogitatio, & librorum spiritualium, ac eorum potissimum, qui vitas Sanctorum continent, percolatio.

Secund. ad sapientiam concionatori necessariam tria requiruntur. Primum, cognitio Scripturarum, & ideo debet Ecclesiastes quotidie aliquid legere ex Divina Scriptura, ut eam sibi faceret familiarem valde, & simul adhibere commentaria Patrum. Qui autem sint optimi Scripture interpretes, ex meo Catalogo peti possent, ex recentioribus, Cornelius Ianfenius, & Adamus Sabaot, excellere mihi videntur. Secund. requiritur notitia dogmatum Ecclesiasticorum, in quo genere rarissima est doctrina S. Theologia, & Catechismi Tridentini. Neque recte faciunt, qui populo optimos Doctorum de dogmatibus proponunt. Neque enim parum esset, si populus que certa sunt plane intelligere & retinere possent. Tertid, exigitur varia eruditio, ut habeat concionator exemplorum similitudinem, testimoniorum, & rationum copiam, ad quam rem valde conducunt Digressiones S. Ioan. Chrysof. in Epistolas B. Pauli, & sermones eiusdem ad Populum Antiochenum, Sermones S. Basilij de ieiunio & sequentes; Tractatus S. Augustini in Psalmos, & sermones eiusdem de Verbis Domini, & de verbis Apostoli: Dialogi S. Gregorij Historia Ecclesiastica, & vite Sanctorum fideliter scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, Palladio, Theodoro, Beda & aliis.

Septimid. ad eloquentiam Christianam, immd ad omnem veram eloquentiam requiritur, ut ars emendet ac poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. Atque in hac vna re precipue peccari solet. Debet ars emendare naturam: Quia nonnulli interdum vel educatione, vel prava consuetudine vitiose loquuntur & agunt; ut cum verbis utuntur impropriis, vel minus honestis, vel phrasibus nimis leuibus aut obscuris, & cum caput indecore mouent, aut sola sinistra manu gestum faciunt, aut aliter peccant in agendo, que vitia facile observatione notari & caueri possunt & debent. Sed rursum (ut dixi) debet ars non destrui naturam. Et si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari, quam corrumpi naturam. Destruunt naturam, qui dum concionantur, vel sono vocis utuntur insolito, ut non tam loqui quam librum aliquem legere, aut etiam canere videantur, aut verbis utuntur Poeticis, aut iam antiquatis, aut nimium affectatis, vel certe phrasibus ita concinnis, ut omnes intelligant, eum multum laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt concionatori omnem penes aut horitatem, tum animi vani & secularis manifesta signa sint.

Octid. si quis autem velit hoc vitium fugere, cogit. Lanciaij Opusc. Tom. 2.

tare debet, se licet ex loco superiore & ad multos) tamen cum hominibus locuturum, & cum eis ita acturum, ac si seorsim cum singulis ageret. Qui enim cum vno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certe non vitur initio multis concisis, aut congerie epithetorum, aut Poetica phrasi; nec magna corporis commotione, nec voce inusitata; sed plane more humano, primum quieto corpore, voce moderata, & verbis simplicibus. Deinde si opus sit contendere vel hortari, vel reprehendere, paulatim assurgit, vocem extollit, multiplicat verba, agitat corpus, exclamat, & ut mutationes vocis, & verborum congeriem, ac totius corporis commotionem pariat affectus, non affectatio vel artificium. Hoc solum interesse deberet inter orationem concionatoris ad populum, & familiarem colloquutionem vnius ad alterum, quod concionatori, ut commodè exaudiatur, est altius loquendum, etiam grauius, & magis considerate, quia maius malum est coram multis peccare, quam coram vno, & quia, ut quidam ait, multitudo honorabilis est.

Nonid. tria sunt genera concionum apud SS. Patres in vsu. Quidam enim scripturas ordine pro concione exponunt, & diligenter sententias singulas explanant. Tales sunt Tractatus S. Augustini in Ioannem, Basilij & Ambrosij in Hexameron, Chrysof. in Genesim: atque hi nullum alium finem propositum habent quam docendi; affectus enim obiter tantum & breuiter admittunt. Alij toti sunt in locis communibus tractandi, ut sermones Chrysof. ad Populum, sermones Basilij diuersorum argumentorum, & pleriq; Sermones Augustini, Bernardi, & aliorum Patrum. & hi potissimum affectibus mouendis inserviunt. Alij denique partim Scripturas exponunt, partim digrediuntur ad virtutes commendandas, & vitia detestanda; quod insigniter prastat Chrysof. in homilia in Epistolas D. Pauli, & quamuis breuius in Marth. in Ioannem, & in Acta Apostolorum. Idem etiam facit Augustinus in Psalmos post Trigesimum, Bernardus in Cantica, & alij nonnulli.

Hec tria genera vitia sunt, & merito frequentanda. Quartum inuenerunt nonnulli qui Scholasticas quaestiones in concione pertractant Et quantum alij qui exquisitis verbis, & Rhetoricis flosculis, vel historiis Euangelicas enarrant, vel crimina Phariseorum amplificat, vel de aliis eiusmodi rebus inepto artificio, magno labore, & sine vlla vtilitate dicunt. Extant libri permulti de Rhetorica Ecclesiastica, siue de formandis concionibus, Augustini Cardinalis Veronen. Ludouici Granatensis, Didaci Stelle, Alphonsi Zetilla, Villa Vincentij, & aliorum, ex quibus peti possunt precepta de singulis partibus concionis. Mibi solum in genere quadam notare propositum fuit. Hec Bellarminus.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Modus brevis componendi conciones vel sermones, traditus à P. Hieronymo Floranantio Societatis Iesu, qui ultimis vite suae annis fuit Confessarius Pape Urbani VIII. & excellens Concionator in Italia.

§. PRIMVS.

De ossibus, seu membris principalibus, in qua diuidenda est concio.

503. **C**onciones vel sermones communiter sunt vno trium horum modorum: Primus est, accipere aliquem textum, eumque diuidere in tot partes, quot continet. & postea discurrere de quavis earum v.g. Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, qua militant aduersus animam. In hac sententiâ sunt tres partes, & de qualibet discurremus. In prima est petitio: Obsecro vos abstinere vos à carnalibus desideriis. In secunda est causa rati petitionis, qua est, quia militant aduersus animam. In tertia est modus, quo debemus abstinere ab his desideriis carnalibus: tanquam aduenas & peregrinos: & hic modus discurrendi est pulchrior & ingeniosior aliis.

Aliquando accipitur vna sola sententia Scripturae, vt in exemplo allato: aliquando accipitur totum Euangelium vel epistola, & diuiditur in suas partes modo supra dicto.

Secundus modus est discurrere de vna materia diuidendo in suas partes, illam, verbi gratia: Pax vobis: discurremus hodie de pace: circa quam videbimus quatuor res. Primò, quid sit pax: Secundò, quàm sit vilis & necessaria mundo. Tertio, quibus rebus nutritur. Quarto, de impedimentis pacis.

Tertius modus est magis tritus omnibus. & est accipere vnum textum, & supra quodlibet verbum, vel sententiam sine alio ordine discurrere, & dicere, & aliquè conceptum morale, vel aliquam doctrinam, quam diu hora concionis durat. Et iste modus fortasse tanquàm facilius est familiaris Hispanis.

§. SECVNDVS.

Quomodo implenda sunt ossa & membra principalia in qua diuisa est sententia vel materia concionum.

Communiter quatuor res ponenda sunt in quolibet membrorum diuisorum: Primò, aliquis locus Scripturae bene positus. Secundò, aliqua similitudo apta rei de qua tractatur. Tertio, aliquod exemplum viuum, & quò magis fuerit exquisitum, eo maiorem faciet impressionem. Quarto, aliqua amplificatio, qua commu-

niter fieri poterit aliquo tropo vel figurâ oratoriâ, & amplificatione debet concludi quodlibet punctum propositum, si res de qua tractatur id exigit. Possunt primo vel secundo loco adduci vna vel duae rationes, & his communiter erunt ad propositum, quando venitur secundo modo, in quo tractatur vna materia.

§. TERTIVS.

Continet aliqua notanda pro explicatione rerum positarum §. 2.

Primò, notandum est, non esse obseruandum semper eundem ordinem ponendi Locum sacrae Scripturae, postea similitudinem, ne Auditor aduertat artem, sed aliquando mutetur ordo, ponaturque prius similitudo, postea exemplum.

Secundò, circa subiectum vel thema: non est semper necessarium accipere illud ex Scripturâ, sed aliquando ex sententia alicuius Sancti, quod sit ad propositum rei tractanda.

Tertio, circa modum tractandi locum Scripturae, duobus modis id fit: vel adducendo varias expositiones, vel varias versiones, verbi gratia: Defecimus in via tua; hoc est: sumus perterriti consideratione tuorum flagellorum, quis enim habitabit in ardoribus sempiternis. Secundò, defecimus, id est: Peccauimus per impatientiam à te paniti, idè sequitur: & in furore tuo conturbati sumus. Tertio, defecimus, id est, morimur; & hoc confirmat versio S. Hieronymi, qui dicitur: Accelerauimus.

Quarto, circa similitudinem, si adducitur ad offendendam aliquam actionem faciendam vel vitandam, accipiat à rebus animatis, verbi gratia: Vade piger ad formicam &c. Cognouit bos possessorem suum. Sed si adducitur ad offendendam excellentiam alicuius rei, vel vilitatem, accipiat ex rebus inanimatis verbi gratia: sicut lilium inter spinas. Deus est sicut mare, Oceanus; charitas sicut aurum.

Quinto, circa exempla duo aduertenda sunt. Primò, faciat vim in illa parte exempli, quae facit ad propositum nostrum. Verbi gratia, si tractatur de timore salutis & adducitur S. Hilarionis, relinquatur reliquum vel breuiter transiatur, sed fiat vis in illis verbis: Septuaginta annis seruisti Domino & mori times. Secundò, exempla non sint communia & nota, alias nota mouent, & faciunt quae spectant ad inopinato euentus: vel si sunt nota, tali modo tractentur, vt videantur noua.

Secundò, circa amplificationem illam vt plurimum fit tribus modis. Primò, à minori ad maius, verbi gratia, Ninivite fecerunt penitentiam ad predicationem Iona: Ecce plus quam Iona hic. Exhibuisti corpora vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, exhibete nunc eadem seruire Iustitia in sanctificationem. Secundò, ab exemplis globatis, vt in Ep. 2. Cor. 11. Ter virgis casus sum, semel lapidatus sum: &c. Tertio, ab effectu, demonium non promittit nisi penam, & sequuntur illud; Christus promittit, & nullus illum sequatur: illud non facit nisi

nisi male, & quaritur, Christus non aliter quam bene, & contemnitur.

Septimò, ut sit quis expeditus ad componendas conciones oportet habere certos libros aptos, quia pro amplificatione & tropis satis est habere Cypriani Rhetoricam, quae est breuissima pro similitudinibus & exemplis, habent multi moderni, qui collegerunt in vnum librum omnes similitudines SS. Patrum in materia quauis. Alij fecere libros plenos exemplorum, & auxilio horum breui tempore fit vna concio.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Defectus quidam in concione vitandi valde improbat à prudentibus & magnis concionatoribus, ac auditoribus magno iudicio præditis.

PRIMò, in Exordio statim eo modo vociferari & clamose loqui, quo solent boni Concionatores in fine concionis in tertio tono, vt dicitur, concionari.

Secundò, longa Exordia texere, in iisq;ue difficultas instituire longiusculos, qui post Exordia fieri debent. Ideo prudentes & magni concionatores, dum scribunt conciones, vltimo loco, post eas compositas Exordia scribunt paucissimarum periodorum, vt sic veluti quidam ingressus ad materiam & ad thema de quo instituenda est tota concio.

Tertiò, manibus quaterere pulpitem, ita vt sonus audiat, ex percussione, ac si manibus incurrerentur clauiculi suggestui, valde indecorum, & cordatis Auditoribus molestum est.

Quartò, manuum volas coniungendo per modum plaudentium sonitum edere, dedecet.

Quintò, indecorum est valde, laudando aliquam actionem vel beneficium Dei, illam vel illud comparare alicuius hominis vel Regis actioni, è contra bonum est laudando aliquod opus hominis, dicere, imitatus est hac in re Deus, qui sic, & sic facit &c.

Sextò, citare authores Neotericos pro confirmatione alicuius rei. Verbi gratia, vt bene dicit Scribanus vel Drexelius, vel de Ponte. Potius non nominando tales, dicendum est, rectè docet quidam grauis è modernis author &c. Sed si sententia aliqua ad casus conscientiae spectans, difficultis vulgo, confirmanda est, vt ea practiceatur, tunc possunt citari casta, etiam, moderni, verbi gratia, de restitutione famae, vel pecuniae, vel de detractone &c. In materiis quas seculares non credunt.

Septimò, spuerè vel excreatè in suggestu versus illam partem, in qua est vel SS. Euchariſtia, vel nobiliores Auditores.

Octauò, ante inchoatam concionem, ipso initio, strophio nares emungere & absterge-

Lancij Opus. Tom. 2.

re, antea sunt ista facienda, si opus sit, antequam ascendatur ad cathedram, vel intra cathedram antequam concionator compareat in suggestu toram auditoribus.

Nonò, non expedit citando sententias SS. Patrum, citare librum & caput libri, maximè totum ex quo sumptæ sunt, quia hoc multi Auditores interpretantur tanquam rem affectatam, & iudicant concionatorem esse vanum, quòd ostentet se multa legisse &c. Sed quando res aliqua vel ad fidem confirmandam, vel ad instructionem morum spectans proponitur, cui Auditores difficilè crederent, tunc omnino debet & liber & caput & tomus citari, præsertim quando sunt hæretici in concione. Tunc ita dici potest: *Legite hunc Sanctum, tali vel tali Tomo, tali libro & capite id dicentem &c.* vt est illud dictum S. Chrystostomi h. 40. ad pop. tom. 5. in qua dixit, Antiochiæ centum non saluendos, quantum tunc dixisset ibidem h. 3. ad pop. col. 1. Antiochiæ eo tempore fuisse millia infinita animarum tanquam in totius orbis capite. Tales propositiones quæ videntur incredibiles, si veræ sint, & ad fidem vel bonos mores instruendos necessariae, vt iis adhibeatur fides, authores Classici eas tradentes citandi sunt. Extra hos casus non suadeo illos citare.

Decimò, citando locum Scripturæ, sat est citare librum & caput, sed non quoto versu est posita illa, quam citas, sententia.

Vndecimò, pro themate concionis sumenda est aliqua sententia Scripturæ quæ plenum sensum habeat, non truncata, ita vt nisi addatur eius explicatio, nil certi auditori adferat.

Duodecimò, rarè citandæ sunt sententiæ ex Tertulliano, Origene, Eusebio Emiseno, quia fuerunt hæresi coinquinati: & tunc citandæ, postquam alij sancti Patres Classici, sunt citati, vt per auxilium quandam persuadeatur Auditoribus, etiam hos, qui non erant sancti, idem sensisse de rebus aliquibus vitandis, & de rebus bonis exequendis.

Decimotertiò, in Poloniâ, non suadeo deferere antiquum morem Prouinciæ in alloquendis Auditoribus, qui compellendi sunt, *Christiani in Domino Deo chari, vel dilectissimi*; vel quid simile, vitandum illud Auditoribus: *Sluchacze*. Sed Scholis hoc & Italis relinquendum. Retineatur antiqua simplicitas huius Regni.

Decimoquartò, vt excedere in concione horam in vitio est, ita non excedere semihoram malum est, ne populus sensim à concionibus disuescat, si assueſcat ad conciones audiendas tantum per vnum quadrantem durantes.

Decimoquintò, nunquam vitia Praelatorum, Episcoporum taxanda, quia non sequitur correctio, sed offensio. Ita nec quædam actiones Auditorum & secularium, quæ fiunt sine peccato, vt venationes diebus profestis, numerosa fami-

lia Senatorum, eorundem splendor in vestibus. Nam hæc etiam in Sanctis Pontificibus, & Episcopis & Regibus, aliisque Principibus non erant peccata, & statui eorum, ne vilescat, sunt necessaria.

Decimo sexto, gestus manuum, motus membrorum, faciei compositio, & pilei usus, talis sit, in quo etiam hostis Concionatoris non possit notare superbiam vel elationem animi, aut aulicisimam, & ut dicitur Sursum corda, & affectatio indecora.

Decimo septimo, dum citandæ sunt aliquæ Scripturæ sententiæ, si latine citentur, id fiat ipsissimis S. Scripturæ verbis, nullo verbulo immutato vel addito; aliis potius vulgari lingua sensus verborum exprimendus est, quam ut aliter quam in Bibliis extent, verba latina preferantur.

Decimo octavo, facies & suggestu in eam Auditorij partem conuertatur frequentius, in quâ maior est numerus Auditorum, quanquam & ad alias partes conuertenda est, sed non tam diu præsertim, si alij à lateribus, non ex opposito tuæ faciei sedentes vel stantes, ægrè te possint exaudire, nisi ad eos quoque tuam faciem & sermonem conuertas.

Decimo nono, ita loquaris, ut extrema verbarum propositionum seu sermonis, non tantum initia, ab Auditoribus benè percipiantur, ne nimis submissa & exili voce proferantur, & veluti amputentur, & ut dicitur deglutiantur.

Vigesimo, propositio concionis sit certa & determinata, non tamen vniuersalis: verbi gratia: de ebrietate vitandâ, de seiuicio seruando; non vero de seruandâ temperantiâ: hoc enim latè nimis patet. Sic dum suadendus est amor inimicorum, dicendum est, *agam de motibus ad amandum inimicum*, non vero, *agam de charitate*.

Claudo Opusculum hoc, optando id, quòd audiente in Spiritu Sanctâ Brigittâ, optabat B. V. Maria, ut verba Dei, quæ loquentur Missionarij, radicentur in cordibus Auditorum, & ita firmiter mentibus inhæant, sicut binumen, quo Arca Noë limta est, quam nec procella, nec venti dissoluere potuerunt. Dilatentur etiam per mundum, sicut rami & flores suauissimi, quorum odor latè spargitur. Frustrificent insuper & dulcescant, sicut dactylus, cuius suauitas animam delectat.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De modo dandi pijs meditationes secularibus hominibus in Missionibus iuxta consilium S. P. Francisci Xauerij.

505. *S*Vpra ex consilio S. Xauerij dictum est posse in Missionibus iuuari homines per pijs me-

ditiones, idèd si in Missionibus occurrerent aliqua personæ magni nominis, quarum vita proba, etiam in subditorum vtilitatem redundare posset, inducendæ essent suauiter ad collectionem per aliquot seltem dies faciendam, in quarum gratiam hæc scripsi ante aliquot annos, & expertus sum valdè aliquibus profuisse, pro vitâ sanctè in medijs Aulicis occupationibus instituendâ. Adscribam hoc loco, quæ tunc scripsi in prouinciâ Bohemiæ mihi dilectissimâ, & magnâ Zelatrice animarum Christi sanguine redemptarum, in quâ etiam professores Philosophiæ & Theologiæ vidi in Academiâ Olomucensi diebus festis audire in templo sancti illius Collegij confessiones, etiam rusticorum ex pagis accurrentium, non minùs diligenter, quam audire soliti fuerint ordinarij nostri Sacerdotes à docendo in scholis liberati. Et non tantum hoc, sed vidi professores Philosophiæ & Theologiæ insignes, & ad supremos literarios gradus promotos, etiam moribundis noctu assistere, & animas morientium Diuinæ Maestati commendare, nec se ab hoc caritatis officio excusare, quòd sequenti matutino tempore essent in illa nobili Academiâ suas lectiones dictaturi. Quædoque per plures noctes, non tantum interdum, morientibus assistebant.

In illâ ergo prouinciâ existens, (in quâ meâ mansionem à me non procuratam, sed à R. P. Martino Santino viro eximio, & in scholis ac in regiminibus commendato, impetratam, dum esset procurator Prouinciæ Bohemiæ missus ab illâ Romam, Anno 1628.) vocatus à quadam Illusterrimâ personâ magni nominis ad Arcem suam, illum ut Exercitijs nostris spiritualibus iuuarem ad sequenda magis studia pietatis, quæ illi cordi fuit, per aliquot tantum dies illi hæc meditationes & Instructiones dedi, quia negotia eius plus temporis non admittentur. Et cum expertus sim has illi profuisse, sperans alijs quoque ei similibus, in diuitijs, & publicis muneribus constitutis, Deo adiuuante profuturas, nunc illas publici iuris facere volui.

Modus facilis Meditandi pro secularibus personis, præsertim Proceribus & in Magistratu aliquo positis.

506. *P*Rimo, post prælecta & menti benè impressa puncta meditanda, vel de Mysterijs vitæ Christi Domini, vel de Nouissimis, vel de beneficijs Diuinis, instante horâ Meditationis, aspargat se aquâ benedictâ, & factò signo Sanctæ crucis, deuotè genua flectat, in loco, in quo meditaturus est, adorando SS. Trinitatem; nõ tantum in caelo, sed etiam in illo ipso loco (vniuerso Fides Catholica docet) intimè & verè presentem, & te ac tuam meditationem spectantem; & in vniõne meritorum Christi Domini, offe-

ras SS. Trinitati ad eius laudem & gloriam faciendam meditationem, & totum te ipsum, peccataque gratiam ab ea necessariam pro bene facienda illa meditatione.

Secundò, tunc autem bene fiet meditatio, quando in illa vel agnosces aliquam veritatem vtilem animæ tuæ, vel senties te excitatum ad amorem alicuius virtutis, vel fugam alicuius vitij, aut imperfectiois: etiamsi tunc non sentires in te vllam consolationem sensibilem. Immodò quamuis sentires in te aliquas tentationes contrarias alicui virtuti, dummodò illis non præbeas assensum, & coneris quantum potes eas repellere.

Tertiò, si non potes genibus flexis meditari, mediteris stando vel sedendo, modeste tamen & reuerenter, eo modo, quo sederes loquens cum Rege si esles infirmus, iussus ab eo sedere. Quod si sentires te melius ambulando meditari, potes etiam ambulando, lentè meditari, dummodò id facias in loco separato ab hominibus, nec peruito.

Quartò, per Meditationem hic nil aliud intelligitur, quam consideratio seria & lenta, seu ponderatio punctorum meditationis eo sine instituta, vt per eam moueatur nostra voluntas, ad amorem alicuius virtutis, vel ad odium & fugam alicuius peccati, vel defectus: seu ad motum in realiqua emendationem, & vitam melius instituendam: seu, vt per pias considerationes excitetur in te pius aliquis affectus vel doloris de peccatis, vel desiderij melioranda vitæ, vel amoris erga Deum, vel alius similis.

Quintò, quoniam verò voluntas nostra non mouetur ad aliquid optandum, vel fugiendum, nisi præcedat cognitio rei optandæ vel vitandæ, idèd pias considerationes adhibentur, circa res desiderandas & fugiendas: & quò melius res cognoscuntur, eò magis voluntas mouetur: idèd sine festinatione mentis, res lentè & profundè ponderandæ sunt piis considerationibus, vt per eas excitetur voluntas ad amorem boni, & odium ac fugam mali alicuius in particulari. Nam fat non erit in genere excitare in se desiderium boni & odium mali, sed ad particulares actus bonos desiderandos, & postea exequendos, ac ad particulares defectus vitandos excitanda est voluntas, quia ni ita fiat, bona proposita citò euanescent.

Sextò, porro in collectione annuâ, quibus ea est in vlt. harum rerum comparanda est intima & profunda cognitio & valde viuâ.

Primò, Diuinæ Maiestatis, cui omnes homines seruire suo modo (quisque in suo statu) debent. Ex cuius cognitione duo effectus sequi solent, Timor & Amor eius. Timor in eo situs est, ne offendatur, deliberatè vllò peccato. Amor verò, vt faciamus omnia, quæ vult à nobis fieri iuxta illud: *Qui diligit me, mandata mea seruat.*

Secundò, procuranda est cognitio magna grauitatis & fœditatis cuiusuis peccati, quæ tanta est, vt non liceat ioco mentiri, etiamsi quis sciret, per commissum tale mendacium, totum mundum saluum fore.

Tertiò, procuranda est cognitio grauitatis peccatorum purgatorij, ex quâ sequitur, vt homines raro peccent, & pro peccatis commissis adhibeant in hac vita multa opera satisfactoria.

Quartò, procuranda est cognitio magnitudinis & præstantiæ Gloriæ cælestis, quam præparauit Deus seruantibus eius mandata, & ei fideliter seruientibus.

Hinc oritur ardens desiderium, coninnectum eum executione, quam plurima bona opera faciendi, & mala tolerandi. Per hæc enim acquiruntur magna præmia in celo.

Quintò, procuranda est cognitio multiplicis & perpetuæ beneficiæ Dei, nos quodammodò suis beneficiis obruentis, tum communibus tum personalibus.

Hinc oritur maior erga Deum amor, quam soleat esse in nobis erga homines nobis benefacientes, quorum beneficia in nos collata, nec tot nec tanta sunt, vt sunt diuina.

Sextò, procuranda est maior cognitio nostri, quæ sita est in Tribus: Primò, in cognitione nostræ promptitudinis ad peccandum. Secundò, impotentia ad faciendum vllum opus supernaturalè & naturale arduum, sine auxilio gratiæ Dei. Tertiò, ignorantia multiplicis circa vitanda, & faciendâ, & corrigendâ, quæ malè vel non perfectè facimus: ex quo sequitur, vt vitemus occasiones peccati, scientes nos esse faciles ad peccandum; vt nos humiliemus coram Deo, videntes nostram infirmitatem & debilitatem ad bona faciendâ; & vt petamus semper diuinum lumen, quod nos dirigat in omnibus, & doceat quid & quomodo vitare & facere, & corrigere debeamus.

Harum rerum cognitio acquiritur temporè Collectionis, tum lectioe piorum librorum, tum per examina conscientie profundiora, tum in meditationibus, tum per colloquia cum Patre spirituali, tum assiduâ inuocatione Diuinæ Maiestatis, quæ dat bonum spiritum petentibus se, tum maximè per Regulas electionis applicandas emendationi seu reformationi circa vitæ statum, positas in fine secundæ hebdomadæ Exercitiorum S.P. Ignatij.

De fine Collectionis.

Primus finis esse debet, introspicere conscientiam propriam, an sit in ea aliquid, cum quo nolles mori sine confessione, si hic & nunc tibi moriendum esset. Examina ergo te nunc eo modo, quo id faceres, si decumberes, paulò post moriturus, desperatus à medicis. Et, si inneneris per hoc sincerum examen, aliquam rem, siuo

peccatum, siue obligationem restituendi aliquid alteri, siue aliquid aliud, vel confessione Sacramentali, vel Restitutione, aut alio modo expiandum, expia, & satisfac Deo vel proximo, sine dilatione; si nihil inuenies graue, Deo gratias age, & sic deinceps uiue.

Secundus finis esse debet huius Collectionis, Examinare diligenter presentem statum tuum, tum quoad personam tuam; tum quoad officium publicum, si aliquid geris in Republica; tum quoad conuersationem tuam cum hac vel illa personâ; tum quoad gubernationem tuę familię, & his similia, an experiaris te in officio tuo, vel conuersatione, vel aliquâ aliâ re habere proximam occasionem te inducentem ad aliquod peccatum mortale; & si eam inueneris, cogita de motiuis per quę possis te resolueri efficaciter, ad vitandam quã primũ & fugiendam deinceps omnem talem occasionem. Inter motiua verò hoc quoque potest esse à Christo Domino datum: *Quid prodest homini si uniuersum mundum lucretur, anima verò suę detrimentum patiatur?* Nam si Illustres, & Nobiles uiri malunt pati iacturam bonorum quã famę, & quã pati publicum dedecus in conspectu Imperatoris, vel Regis; multò magis ij, qui saluari volunt, debent omnia illa relinquere salutis æternę obstacula, per quę experti sunt (& multò magis si sæpè expeririuntur) se ad peccatum aliquod mortale, certum salutis æternę periculum adferens, deuolutos esse, vel deuolui solere, vel ad periculum prolabendi in illud adduci. Quocirca, resolue te, ad citò amouenda deinceps à te omnia impedimenta uitę & salutis æternę, si quę habes. Si nulla habes, Deo gratias age, & perge in bona uita.

Tertius finis huius Collectionis esse debet, inquirere, an hæcenus ita uixeris, ut, si nunc tibi moriendum esset, libenter morereris, & non timeres valdè mori, ac te iudicio Dei terribili presentare. Cum enim salus tua æterna, magis dependeat à bona morte, quã ab alia re, danda tibi est opera, ut benè & quietè moriaris. Quocirca etiam si uixisses antea sine peccato mortali, uide quę sint illa in te, ob quę non libenter, nec cum lætitiâ morereris nunc, si iam tibi moriendum esset, & ea amouere stude quã primũ, vel accommodatè, ut possis esse semper paratus, ad benè & hilariter moriendum, quandoquidem ex puncto, & bono statu, mortis, tua pendet æternitas.

Quartus finis huius Collectionis debet esse, Felix tuus status post mortem, nimirum, ut vel nullas, vel ualde exiguas pœnas in Purgatorio patiaris. Cùm enim pœna Purgatorij, ut docent SS. Patres cum S. Thoma, & patet ex certis Historiis Ecclesiasticis, sint acerbiores, quã omnia tormenta quę passi sunt Martyres, & quã omnia supplicia, quibus affecti sunt homines sceleratissimi, magna esset stultitia tua, non cura,

re (si posses cum Diuino auxilio) euadere Purgatorij pœnas, siquidem, etiam per iacturam bonorum omnium tuorum temporalium, libenter euaderes combustionem tuam in foro publico, vel si certò scires te promeritum esse suspendium per manum carnificis, & crederes te tali morte multandum ob aliquod tuum facinus commissum contra imperatorem vel Regem. Nam pœnæ purgatorij multò sunt grauior, & animę ad eas post mortem à iusto Iudice Deo destinata, magis ob sua peccata & illas pœnas confunduntur quã soleant scelerati confundi per manus carnificis mactandi. Perpende hoc diligenter, & resolue te ad dandam operam, ut omnino euadas purgatorij pœnas. Postea verò alio tempore cogitabis de modis eas euadendi, dummodò nunc uiuaciter apprehendas, summè tibi esse necessarium, ne pœnas illas post mortem patiaris, quas ob tot peccata, etiam sola uenialia merentur omnes, etiam uiri sancti, nisi in hac uita plenè pro illis satisfaciant.

Quintus finis Collectionis huius esse debet, ita modum uiuendi tuum instituere & ordinare, ut post mortem assequaris altissimum in Regno cœlesti thronum. Nam si in hac uita, non duraturã, non uis esse in numero rusticorum, & uiliũ personarum, & locum ultimum in Regno possidere, sed optas esse in summa Regis tui & procerum gratia, & affluere diuitiis, & honestis honoribus, tuã nobili conditioni conuenientibus (quod quidem desiderium si absit finis malus, malum non est ex se), multò magis optare, & procurare debes, ut in regno illo æternò, nullum finem habituro, locum assequaris quã proximum throno Regis cœlestis: siquidem is maius, & uilius, & nobilius bonum est, quã omnis humana prosperitas, pro quã aded sollicitus es assequendã, retinendã & augendã. Accendaris ergo ingenti desiderio locum in celo altissimum acquirendi, & ut ait S. Chrysostomus, *Thronum Diuino throno proximum;* & sic uiuendi, ut illum acquiras.

De impedimentis salutis amouendis.

Post Orationem præparatoriam. Primò, considera primũ & maximum salutis impedimentum, esse quoduis peccatum mortale, per quod homo redditur inimicus Dei, mancipium diaboli, perdit ius ad regnum cœlesti, & destinatur à Deo, ad pœnas inferni si in illo peccato moriatur, sitque indignus omni auxilio diuino, & omni dono Dei, etiam naturali, & dignus qui statim absorbeat à terra, & detrudatur ad ignem æternum, & contra quem insurgant omnes creaturę, eumque interimat, & omnia eius bona stabilia & mobilia annihilent, per ignem & fulmina, per hiatus terrę, per irruptionem omnium fluminum & aliarum aqua-

aquarum submersionem, & aliis modis. Pondera singulara, ut agnoscas quanto per te tibi sit vitandum quoduis peccatum mortale. Si enim esset cibis aliquis, vel potus, quo leuiter etiam gustato, certo scires te morte subitanâ moriturum, omnino abstinere à tali cibo & potu semper, quamuis post mortem inde subsecuturam non timeres infernum: eò quòd scires te esse in Dei gratia; sanè multò magis debes abstinere semper ab omni peccato mortali, quia plura mala (paullò ante commemorata) adducit, quàm sit mors subitanea. Quocirca non minùs saltem, quàm à morte subitanâ debes abhorrere à quouis peccato mortali; illiusque occasiones proximas vitare. Et statuè apud te, quomodò eas vitare debeas in posterum efficaciter.

Secundò, considera eadem ob causas debere te querere, purgationem animæ tuæ à peccato mortali statim post lapsum in illud à te agnitam: sicut quæres efficacem medicinam, statim post haustum aliquod venenum certam corporis mortem adferre solitum. Tum quia maius malum est mors spiritualis, illata animæ per peccatum mortale, quàm solum periculum mortis corporalis ob haustum venenum imminenti, in mò quàm ipsa mors corporis te ipsâ subsecuturam: quia pericula malorum ex peccato mortali commisso perpetratorum, sunt maiora quàm possint accidere homini ex sola morte corporali in se solâ consideratâ; nimirum, æterna damnatio, si te mori contingeret non expiato peccato mortali commisso. Sicut ergo sciens potentissimum exercitum hostium, te multò potentiorum, imminere, quærentem te ad te mactandum, vel captinandum, sine vllâ dilatione (si posses) adhiberes omnia possibilia auxilia & præsidia ne in manus hostium venires; ita multò magis debes sine dilatione post quemuis lapsum in peccatum mortale, illud per confessionem sacramentalem statim abolere, si potes habere Confessarium; vel si is absit, per actum contritionis, quò euadas exercitum infernalem tibi ob peccatum mortale, pœnas inferni (quas eo meritis es) parantem, & te ad illas quali trahentem.

Tertiò, considera aliud impedimentum salutis, esse obligationem satisfaciendi Deo & proximo, neglectam, seu omisam, eamque non vnâ.

Prima obligatio est respectu Dei satisfaciendi pro peccatis commissis, & quoad culpam remissis, per sacramenta, vel per actum contritionis, sed quoad pœnam temporalem in hac vita vel in purgatorio luendam, non expiatis. Hinc Sanctus Paschasius (ut scribit S. Gregorius Papa) post mortem fuit in purgatorio ob solam tenacitatem iudicij ex zelo ortam, quamuis eius Dalmatica faceret eo mortuo nondum sepulto mitacula. Quocirca cogitandum tibi est serid, in hac Collectione, quibus modis posses, dum

viuis, satisfacere obligationi, & post mortem non pati remoram ab ingressu cæli.

Secunda obligatio respectu hominum, famæ alterius per detractiones denigratæ restitutio, quæ omisâ in hac vita, detinet homines in purgatorio. Ideo quidam defunctus, qui S. Vincentio Ferrerio detraxerat, dum viueret, non est admissus ad cælum, donec Dei iussu apparens S. Vincentio, & suam culpam ei manifestans, obtinuerit ab eo veniam & condonationem.

Tertia obligatio respectu hominum, est restituendi res iniquè ablatas, vel impeditas, vel cum damno alterius detentas, seu retardatas, vel per obliuionem culpabilem non solutas aut destructas. Quia iuxta Regulam illam in ius Canonicum relata; *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Hac obligatione multi Proceres & Domini & Iudices & Consiliarij Regum & Procuratores & Secretarij & Notarij seu Scribæ, & Assessores & Consiliarij & Oeconomi, & Confessarij supradictarum personarum, sunt vehementer grauati, & multi eorum damnantur, quia fuerunt causa damnorum temporalium, vel consilio, vel auxilio, vel alio modo, etiam si damnum non fuerit maius iacturâ aliquot ducatorum vel imperialium seu talerorum in omni Theologorum communi & constâti sententia. Quapropter considera num fueris causa grauis damni vel tuis subditis, vel tuis famulis, vel tuis vicinis, vel tuis æqualibus, vel fisco aut Reipublicæ, vel iis quorum causas iudicasti, vel proposuisti in iudicio, non verè nec sincerè, occultando malitiosè vel alio modo monumenta aliquorum causæ profutura, vel contra illos vel pro illis, decreta iussu Principis & Commissiones scribendo, & Principem non ita diligenter informando de rei veritate, pro & contra, vti veritas postulabat, & si inueneris te coram Deo examinando fuisse causam alicuius damni saltem aliquot ducatorum, satisfac sine dilatione, parti læsæ à te, iuxta consilium docti & prudentis, & non adulatoris Confessarij. Alioqui salus tua periclitabitur.

Quarta obligatio est puniendi iustè subditos peccantes. Ob huius rei omissionem culpabilem multi damnantur, & in hac vita grauiter puniuntur à Deo: sicut fuit punitus Heli Sacerdos cum filiis morte repentinâ sublatis, quia et si monuerit filios & reprehenderit ob peccata eorum, tamen quia non castigauit eos seuerius vt oportebat, Deus tale contra Heli & familiam eius decretum dedit 1. Reg. 3. 11. & seq. Dixit Dominus ad Samuelem: *suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius. Prædixi enim ei quod qui iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quod nouerit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos. Idcirco irauit domui Heli, quòd non expiabitur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.* Pondera hoc, & si quid in te est simile omis-

omissum circa subditos non punitos, corrigere.

De remora salutis.

Post Orationem preparatoriam.

Primo: Considera peccata venialia à iustis & à Sanctis quoque magnis committi solita, esse multiplicem remoram salutis, has ob causas:

Primo: quia, qui iis in hac vita non abolitis moriuntur, etiam si essent sancti, ut erant Apostoli, non admitterentur ad regnum caeleste (quod est nostra salus aeterna) quia, ut dicitur Apoc. 21. 27. *Non intrabit eò aliquid coinquinatum.* Quocirca, sicut parans te ad adeundum Regem, non maculates voluntarià maculà tuam facie, sciens non esse decorum, cum eà te sistere in còspectu Regis; ita multò magis, parans te in hac vita ad adeundum Regem Regum, & Dominum Dominantium, & assidue stans in conspectu eius, ante te, vel tibi intimè praesentis, non debes te contaminare villo delibèratè commissò peccato. Imprime benè hanc veritatem mentis tuae, & abstine ab omnibus peccatis delibèratim, ne secus faciendo, factis ostendas, te plus aestimare Regem, quàm Deum.

515. *Secundo modo* peccata venialia sunt remora salutis, quia impediunt augmentum gratiae (quae est veluti semen & radix salutis nostrae) contaminando opera nostra, quae (extra usum Sacramentorum) facimus, si ea facimus cum aliquo peccato veniali, eorum finem, vel modum operandi maculante. Cum autem gratia sit intrinseca participatio Diuinitatis, ut docent Theologi, seu, ut loquitur S. Petrus 2. Petri 7. 4. *Consortium Diuinae naturae;* & hoc maius bonum, id est, vilius, praestantius, magisque nobis sit necessarium, quàm omnes Thesauri huius vitae; sicut execraberis omnes illos & vitares, quos certo scites impediuisse tibi ingens augmentum pecuniarum, & aliorum magnorum thesaurorum, ita multò magis debes execrari omnia peccata venialia, & vitare, per quae impeditur augmentum gratiae in operibus tuis.

516. *Tertio modo* peccata venialia sunt remora tuae salutis, quia, ut ait S. Thomas, sunt causa, ne animus promptè feratur in Dominum, & quia impediunt feruorem charitatis, qui facit cum promptitudine animi opera bona, magis meritoria, quàm essent, si fierent sine feruore & animi promptitudine. Quapropter sicut execraberis illum bonum contractum, quo tantum lucraberis honestè vnum pro centum: cum posses aliquo alio bono contractu eadem pecunià lucrari mille pro centum; ita multò magis execrari debes peccata venialia, illa quoque, quae etsi non impediunt totaliter, meritum bonorum operum tuorum, impediunt tamen maius multò meritum & lucrum, quòd per illa ipsa acquires, si ea faceres cum omni promptitudine erga

Deum, & cum feruore, quem peccata venialia impediunt.

Quarto modo peccata venialia sunt remora salutis, quia disponunt ad peccata mortalia, ut docent Theologi & Sancti, quibus maculatus homo, est incapax salutis aeternae, quippe factus dignus inferno, & priuatus per illa iure certissimo ad salutem aeternam. Quotopere autem disponat, etiam vnum veniale peccatum ad multa mortalia, apparuit in Dauid Rege, qui ex aspectu curioso facie Bersabae (quae, initio erat curiositas venialis, & fortè indeliberata) deuenit ad turpem concupiscentiam illius foeminae & ad adulterium cum illa, per annum integrum continuatum, & ad occisionem innocenti viri, eius mariti. Si ergo vnus aspectus curiosus foeminae, Dauidem tunc virum sanctum & Deo charissimum, & (quod mirabilis est) habentem tunc, ad minimum decem vxores (quia tunc hoc erat licitum) quarum vsu, suam poterat explere libidinem, & concupiscentiam carnis sedare, si, inquam, virum tam sanctum, vnum peccatum veniale disposuit & perduxit ad tot peccata mortalia grauissima; tu qui non es, uti erat Dauid Dei, iudicio in Scriptura relicto) *vir suum cor Dei,* quomodo aures non curate peccata venialia; & tibi fisisiue aspiciendo curiosè foeminas, siue conuersando extra necessitatem, & incautè, & sine testibus praesentibus, cum illis, siue adeundo loca periculosa & suspecta, siue audiendo colloquia de rebus inhonestis libenter, siue legendo libros lasciuas historias continentes, siue aspiciendo turpes picturas, aut eas in memoriam reuocando? Haec enim omnia non minùs ad peccatum disponunt, multos fragiles, & habitatos in malo, quàm fuerit ille momentaneus (in principio) alienae vxoris aspectus. Pondera haec accuratè & statue firmiter, nullum delibèratè committere peccatum veniale, praesertim in materià castitatis, immò & iracundiae, & denigrationis famae alienae, & excessus in potu, quia per sola peccata venialia, in his materiis commissa, docet experientia, multos etiam aliqui bonos, delabi in grauiora peccata mortalia.

518. *Secundo considera* mirum timorem qui fuit in S. Ioanne Baptista, declinandi non tantum peccata venialia, sed etiam honestas occasiones, incidendi in illa. Hanc enim ob causam, ut canit Sancta Ecclesia, *Antra deserti petiit, ab annis reueris, ne leui saltim maculà verbi otiosi se coinquinaret.* Si ergo tam magnus sanctus, quo (Christi iudicio) non surrexit maior inter natos mulierum, & qui, antequam esset natus, fuit in vtero matris suae sanctificatus, ad eò vitauit peccata venialia, vide quid tibi faciendum sit, qui tam longè distas ab eius sanctimonia, & tot tibi accerbis non bonas occasiones illa committendi. Cogita ergo quomodo ea & eorum occasiones deinceps vitare debeas.

De incitamentis ad promouendam propriam salutem.

Post Orationem preparatoriam.

Primo, Considera primum incitamentum ad promouendam tuam salutem, esse finem, ob quem à Deo creatus es, qui, ut ait S. P. Ignatius, est is, ut Deum laudes ac reuereris, eius seruens tandem saluus fias: iuxta illud Deut. 26. 18. Dominus elegit te hodie (per bonas inspirationes, quas tibi immisit, in hac Collectione & secessu à negotiis) ut sis ei populus peculiaris, & custodias omnia precepta illius, & faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem & nomen & gloriam suam. Pondera ergo hæc singula verba, ut agnoscas intemè, quomodo te viuere oporteat, ut verè Deus videat se à te laudari, & glorificari, & quod eum reuereris eiusque seruus in ordinariis operibus tuis. Et, si inueneris te benè illi seruire, (quod fit, seruando eius mandata) perge sic deinceps. Quòd si inueneris, te non exequi eodem modo Dei voluntatem in præceptis eius, quomodo vis tibi à tuis famulis & subditis seruari tua mandata, confundere, dolo; veniam pete à Domino Deo tuo, & seriò delibera, quibus modis emendare deinceps debeas, seruitia tua Deo malè impensa, & propone seriam emendationem tui in aliquibus rebus particularibus.

Secundo, Considera radices seu causas, ob quas hæcenus Deo malè seruisti, & te indignum reddidisti aternâ salute, & quàm ex causâ indignè sint, ut propter illas Dominum tuum Deum, futurum Iudicem tuum, offendas, & te prius præmio aeterno. Et altera parte considera, quòd ob longè minores causas, negares famulis tuis promissa stipendia & præmia obsequiorum, si illi ita te offenderent, & tua iussa non exequerentur, sicut tu non es executus, vel non exqueris iussa Dei. Quâ ergo fronte potes comparere in conspectu Dei, & petere ab eo tui saluationem, in præmium seruitiorum tam malè & impensorum, qui famulis tuis iustè negares debita stipendia, ob minùs malè impensa tibi obsequia? Confundere itaque & te emenda, & pete à Domino Deo gratiam te seriò & constanter emendandi.

Tertiò, Considera secundum incitamentum ad promouendam tuam salutem esse, usum sacramentorum, per quæ toties & liberaris ab impedimentis ac remoris salutis, scilicet peccatis, & gratiam Dei sanctificantem acquiris in anima tua, & gratiæ Diuinæ multiplicia auxilia tibi conuicias, ad declinandum à malo & ad faciendam bona. Cum autem hæc Sacramenta, præsertim SS. Eucharistiæ, habeant magnam efficaciam, ad salutem tuam promouendam, per fugam peccatorum, & per frequentationem bonorum operum, inquire quam ob causam in te non experiaris effectus Sacramentorum to-

ties receptorum, & causam vel causas huius rei agnitas deplora, amouere vel vitare stude, & te emenda.

Quartò, Considera tertium incitamentum ad promouendam tuam salutem, esse Christi Domini vitam, Passionem & Mortem, tot doloribus & afflictionibus & iniuriis pro te per 34. annos à Christo Domino toleratis plenam: quæ omnia fecit & passus est, ut tu Deo benè seruires & saluus esse posses post mortem. An autem & quibus modis corresponderis Domino tuo, & respondeas, tam multa pro te passio, inquire, & confundere, & veniam pete, & propone seriam emendationem in melius, ponderando illa verba S. Pauli Apostoli: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno*: (scilicet vitâ & sanguine Dei pro vobis incarnati). *Glorificate, ergo, & portate Deum in corpore vestro*. Quod quomodo exequi debeas vide, & tanquam mancipium Dei, eius Sanguine emptum, ei serui deinceps, & seruando benè, bonâ vitâ, promoue tuam salutem.

Quintò, Considera quartum incitamentum ad promouendam tuam salutem esse, quòd te Deus ob tot peccata promeritum pœnas inferni, ad eas non detruserit, vel saltem ad pœnas purgatorij, si nunquam mortaliter peccasti. Maius enim beneficium est, nunquam passum esse pœnas inferni vel purgatorij, ei qui illas promeritus fuit, quàm liberari à pœnis inferni. Quocirca sicut is qui nunc liberaretur ex inferno, procul dubio abstineret à peccatis, ob quæ ad illas pœnas fuit detrusus, & præterea sanctissimè viueret grati animi ergo; ita multò magis tu nunc promouere debes tuam salutem, abstinendo à peccatis, & benè omnia faciendo in obsequium Dei.

Quòd autem maius beneficium sit non sensisse pœnas inferni quàm ab iis esse liberatum, patet, Quia beneficium liberati ab iis pœnis esset, carere illis pœnis, sicut tu hæcenus iis caruisti, ideo in hoc par es ei qui liberatus esset, ac non esse passum illas pœnas, aliud beneficium est, quo caruit ille, qui ab illis esset liberatus: plus ergo tibi Deus præstitit, proinde magis esse debes gratus Deo ob maius beneficium, & illo benè uti ad promouendam tuam salutem.

De vitandis peccatis mortalibus, præcipuis salutis nostræ impedimentis.

Post Orationem preparatoriam.

Primo, Considera, nullum à Deo damnari & detrudi ad aternas inferni pœnas, nisi post certum numerum peccatorum mortalium à peccatore commissum, & ab aeterno à Deo præuisum: qui certus ac determinatus numerus, ab eo præuisus, donec compleatur, nullum damnat, ut docent, post S. Leonem Papam & alios Pa-

Matt. 23.
32. 34.
1. Theff.
2. 16.
Cornel.
in C6m.
Lestias
1. 13. de
perfect.
diu. c. 11.

tres, fundati in Sacra Scriptura Theologi. Quocirca cum nescias (si peccas mortaliter) quantus sit ille numerus peccatorum mortalium à Deo, in te præuisus, quo completo, deberes dampnari, resolu te, toto possibili conatu, ne deinceps vllam prorsus peccatum mortale, committas, ne forte, primum illud peccatum mortale, quod post hac committeres, sit complementum illius numeri peccatorum, præuisi à Deo, ob quem esses damnandus. Pondera hoc diligenter, relegendò & ruminandò hanc certissimam doctrinam, & consule animæ tuæ, ne pereas, multiplicando noua & noua peccata mortalia: quia si peruenieris ad certum eorum numerum à Deo præuisum, dampnaberis, quia tunc non dabit tibi Deus auxilium efficac ad contritionem, vel confessionem, sicut non iuuit scelestum Antiochum, qui ethi orabat Dominum, vt ait sacra Scriptura, tamen ab eo non erat misericordiam consecutus. Pondera hoc, & time, & vita peccata mortalia.

2. Mach.
9. 13.

526.

Ios. 7.

Secundò, Considera tantam esse grauitatem peccatorum mortalium, vt Deus, ad persuadendam nobis eorum grauitatem & fugam, (loquendo humano more) sua quandoque mutarit decreta & promissiones, suis caris amicis factas sine vllà limitatione: propterea propter vnus hominis mortale peccatum, etiam innocentes & non cooperantes illi, puniuerit. Hoc maximè apparuit in furto Achah, qui cum ex rebus à Iosue Deo oblati furatus esset pallium tocineum, & ducentos siclos argenti & regulam auream quinquaginta siclorum, idque solus, nullo penitus conscio, nullo cooperante fecisset, Deus iratus est contra filios Israël vniuersos, & dixit, illos quoque prauaricatos esse mandatum, & vsurpasse de anathemate, & furatos esse, & peccasse. Et hanc ob causam, cum Iosue misisset tria millia militum ad expugnandam urbem Hai, percussa sunt à ciuibus Hai, & fugata illa 3000. & ex eis occisi 36. homines, & postea Achah Dei iussu per sortes inuentus reus, lapidatus fuit, filij quoque & filia eius, boues, & asini, & oues, ipsamque tabernaculum, & cuncta suppellex eius, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt, etsi solus Achah peccauerit furto illo, & antequam lapidaretur, ostenderit signa penitentia, furumque suum statim confessus fuerit coram populo vniuerso, dicens: Verè ego peccavi Domino Deo Israël, & sic feci. Pondera singula, vt agnoscas vnus solius peccatum mortale, etiam Communitati nocere innocenti, sed maximè hoc pondera, quod Deus ob illud vnus peccatum, reuocavit seu non implevit promissiones suas factas Iosue, Nam Ios. 1. 5. 9. promiserat illi sine vllà exceptione, hæc: Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ sicut fui cum Moyse, (qui semper vicit hostes) ita ero tecum. Non dimittam, nec derelinquam te. Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus, noli metuere & noli timere, quoniam re-

cum est Dominus Deus tuus, in omnibus ad quacunque perrexeris. Et tamen à ciuibus Hai 3000. militum Iosue fuerunt victa & fugata, & 36. ex eis occisi. Nimirum, quia, vt ait S. Chrysostomus, Deus cum aliqua dare bona pollicetur, indignos autem videt esse. Hos, tunc sua reuocat promissa. Ideò mirum non est, & tempore bellorum, & tempore pestis, multos orantes non exaudiri, sed quàm plurimos ab hostibus mactari & capti, etiam innocentes, & peste extingui, quia tot alij conciuces & commilitones innumeris Deum offendunt peccatis. Quocirca & in tuis adscribe peccatis tot clades huius regni, si vnus Achah nocuit aliis. Ideo resolu te nunquam peccare mortaliter, ne & Regno vniuerso, & saltem tuæ familiae noceas, sicut adulterium & homicidium Dauidis nocuit innocenti filio eius infanti, quem Deus ob patris peccata morti fecit, & licet Dauid & oraret & ieiunaret pro illo, vitam ei ægrotanti impetrare non potuit 2. Reg. 12. 14.

Tertio, Considera terribilia Dei verba illa scripta Exod. 20. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios tertiam & quartam generationem. Vnde S. Augustinus hoc ponderans scripsit: Quàm multa sunt diuinarum testimonia scripturarum, quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis possit: cur enim peccauit Cham & in eius filio Chanaan vindicta prolata est: Cur pro peccato Salomonis filius eius dimissione Regni punitus est: cur peccatorum Achab Regis Israël, in eius posteros pena dilata est?

Sic ob peccatum Giezi, ad posteros eius innocentes lepra transmissa est 4. Reg. 5. 27. Sic ob Pharaonis adulterium in Saram commissum, non tantum Pharaonem flagellauit Deus plagis maximis, sed & domum eius. Et quod mirabilis est, ob solam voluntatem quam habuit Abimelech coeundi cum Sarâ vxore Abraham, punitus est à Deo sterilitate, ipse & vxor eius, & omnes ancillæ eius. Quamuis ipso Deo teste & id dicente, in hac re non peccauerit Abimelech, vt ponderat S. Chrysostomus, & ignorauerit Saram habere maritum: & tunc permillum fuerit, habere plures vxores sine peccato. Hæc diligenter ponderans, agnosce quantopere peccatum sit quoduis mortale, fugiendum, ne & animæ tuæ spiritualiter noceas, & ne sis causa damnorum temporalium tuæ familiae, & tibi, immò toti Regno. Nam vt, præter exempla allata, ait S. Basiliius hom. 8. in diuites auaros: Per paucos mala arumnaq, ad vniuersum populum sapius perueniunt, & vnus ob noxam tota gens aliquando eueritur.

De vitandis peccatis venialibus.
Quia nocent in hac vita.

Post Orationem preparatoriam.

Primò, Considera tam graue esse peccatum veniale, etiam vnicum, etiam à Sanctis commissum, vt, ad declarandam eius grauitatem, &

quantopere sit vitandum, Deus quandoque multos morte repentina extinxit, qui non cooperati fuerunt ad illud, & quoad illud, verè erant innocentes. Admirabile extat huius rei exemplum in sancto Rege Davide, qui cum ex elatione quadam animi iussisset numerari homines sibi subditos, quot essent apti ad bellum, eam solum ob rem, Deus pestilentia extinxit septuaginta millia virorum. Quod ut melius percipias;

Pondera primò, illam elationem seu numerationem populi, non fuisse peccatum mortale sed veniale, quia Deus in duobus solis peccatis, testatus est à Davide violata esse Dei præcepta, scilicet per homicidium Uriæ, & per adulterium cum eius vxore commissum, in reliquis verò Davidem fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vite sue. Ergo illa numeratione populi, non peccauit mortaliter; & tamen Deus ob hoc veniale eius peccatum, 70000. subditorum eius, peste necauit? & tam notabiliter numerum subditorum eius imminuit; idè mirum non est, si & Regibus & Dominis sæpè multi subditi peste & bellis extinguantur, quando ob vnum peccatū veniale Regis sancti, Deo carissimi, quem Deus virum secundum cor suū appellauit, tot ei subditos extinxit? Vide ergo quantopere vitare debes quoduis peccatum veniale, ne & tibi & aliis noceas, cum non sis tã Deo carus, vt erat Dauid.

Pondera secundò, hanc numerationem aptorum ad bellum subditorum fuisse necessariam Diuidi, sicut est necessaria cuius Regi bella gerenti, & ab hostibus infestato, vt perpetuò infestabatur Dauid etiam postquam ei Deus promiserat: (nota hoc diligenter) *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis.* Nam post hanc promissionem sibi factam, mouerunt contra illum bella numerosissimo exercitu instructa, hostes eius Philistæi, Moabitæ cum Rege Soba, & Syri, & Ammonitæ. Et tamen Deus numerationem hanc populi, etsi necessariam Dauidi, tot mortibus subditorum puniuit, quia fuit contaminata solo peccato veniali elationis.

Pondera tertio, Saulem, etsi non ita Deo carū, immò postea abiectum à Deo, numerasse similiter populum, & tamen ob hanc numerationem, non fuisse à Deo punitum, immò post eam obtinuisse ex hoste victoriam: siue quia numerauit Saul populum, sine vilo peccato in ea commisso, siue vt Deus ostenderet, cæteris paribus, grauiora esse peccata deliberatè commissa ab eis, qui sunt sanctiores, vel potentiores, & maioribus honoribus ac donis à Deo ornati, sicut erat ornatus Dauid tot Dei favoribus. Certa est enim doctrina Theologorum cum S. Thoma: Magnitudinem persona peccantis, aggravare peccatum, ex deliberatione procedens: quod etiam Sancti do-

cent. Sanctus Cæcilius, S. Ildorus, S. Bernardus S. Gregorius Nazianzenus, & S. Chrysostomus. Quò ergo maior es, siue diuitiis, siue honoribus in Republica, siue statu perfectiore, eò magis vitia peccata venialia, ne & tibi, & aliis noceas.

Secundò considera vnum peccatum veniale mereri etiam à sancto viro commissum, vt totum Regnum veniat in potestatem hostium, etsi sine iustà belli causâ bellum gerentium. Stupendum huius rei exemplum habemus in Sacra Scriptura, quæ narrat ob ostensos à sancto Rege Ezechia Legatis Regis Babyloniz suos thesauros, ita fuisse hac re offensum Deum, vt statim miserit ad eum Iſaiam Prophetam cum hac prædictione: *Ecce dies venient, & auferentur omnia que sunt in domo tua, & que condiderunt Patres tui vsque in diem hanc in Babylonem, non remanebit quicquam aut Dominus Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt eunuchi in palatio Regis Babyloniz. Et ita profus euenit. Nam postea Nabuchodonosor Rex Babyloniz expugnauit Ierusalem, accepit omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus Regia, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini, & transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos Principes, & omnes fortes exercitus in captiuitatem, & omnem artificem, nihilq. relictum est, exceptis pauperibus populi terra. Transtulit quoque Ioachim Regem Iuda in Babylonem & Matrem Regis, & vxores Regis, & Eunuchos eius, & Iudices terra duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem.*

In quo factò *Pondera primò*, hanc ostensionem thesaurorum factam à Rege Ezechia, vt ait benè Sallianus, fuisse vnum ex minoribus bonorum peccatis, non fuit ergo peccatum mortale.

Pondera secundò, Ezechiam fuisse Regem sanctissimum, cui nemo nostrum par est: sic enim laudatur à Deo in S. Scriptura: *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia que fecerat Dauid Pater eius &c.* Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt: *& adhaesit Domino, & non recessit à vestigiis eius, secitq. mandata eius que præceperat Dominus Moysi (proinde nunquam peccauit mortaliter) Vnde & Dominus erat cum eo, & in cunctis ad que procedebat, sapienter se agebat.* Si ergo tam sancti Regis vni veniale peccatum adeò nocuit toti Regno, tua tot moiora non nocebunt? non nocuerunt haecenus per tot clades Regni? Agnosce ergo quantopere sint etiam venialia peccata à te vitanda. Noli ea parui facere.

Pondera tertio, tam bonæ conscientia fuisse Regem Ezechiam, & tam eminentis virtutis, vt eam ex Dei dono in se cognoscens, ausus fuerit Deo ipsi dicere: *Obsecro, Domine, memero, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quòd placitum est coram te, fecerim.* Poterine tu talia de te dicere Deo? Si ergo talis

Cæ. h. 18.
Iſid. l. 2.
defum.
bono c.
18.
Bern. l. 2.
Confid.
c. 13. & S.
de tripl.
custod.
Naz. cur.
3. ad Virg.
num. 19.
Ghryl. h.
77. ad
pop.
533.

4. Reg.
24. 10. &
seq.
534.
An. mun.
332. 4. d.
32.

535.
4. Reg.
18. 3. 4.
536.
Ma. 3. 8. 3.
4. Reg.
20. 3.

Regis, vnum peccatum veniale suo Regno & suis posteris nocuit, vide an idem tibi timendū sit, proinde vita peccata venialia.

537.

Pondera quartò, in tantā gratiā fuisse apud Deum, hunc Regem sanctum, vt ob breuissimas preces eius Deus mutauerit suum decretum ei per Isaiam Prophetam annuntiatum, de eo tunc morituro. Nam non est tunc mortuus, etsi moriturum eum Deus per Isaiam prædixerit: immò addidit ei 15. annos vitæ, & in signum huius rei fecit vt sol retro cesserit in sua substantia (non in solis radiis vel vmbra in horologio) retrò ad decem gradus, vt dicitur Sancti Patres, & expressè Isaias Propheta Isai. 38. 8. Et aliā vice, breui oratione impetrauit à Deo, vt Angelus vna nocte in castris Assyriorum occiderit ex hostibus eius centum octoginta quinque millia Assyriorum 4. Reg. 19. 14. 20. 35. Si ergo vnum peccatum veniale Regis tam sancti, tam Deo cari, toti regno & posteris eius nocuit, quid putas mereri tua peccata, qui tam carus Deo non es; vt ille fuit: Ided deinceps tanquam ab igne, & tanquam à facie colubri, fuge quoduis veniale peccatum, ne vnquam vllum plenā deliberatione committas,

De vitandis peccatis venialibus, quia nocent post mortem.

538.

Post Orationem præparatoriam.

Primò, Considera nullum mortalium, etiam si esset tam sanctus, vti fuit B. V. Maria, intrare posse in cælum, si vel vnicum peccatum veniale habeat in animā suā, non remissum in hac vitā quoad culpam, vel si remissum esset, non expiatum quoad obligationem pœnæ; quia in cælum nil coquinatum potest intrare Apoc. 21. 27. Omnes enim qui in cælo sunt, sine macula sunt ante thronum Dei Apoc. 14. 5. Quam exclusionem à cælo, anima etiam si nihil pareretur in purgatorio, sentit cum inexplicabili dolore & afflictione, maiore quàm sentire, si te Rex iuberet publicè, totā Ciuitate spectante, excedere ex suā cariā, vel expelleret è loco Audientiae, tunc dum illam velles habere, habens magnam necessitatem eū alloquendi. Quocirca sicut abstinere à quouis peccato veniali, si ob illud commissum, certò scire te non admissum iri ad palatium Regis, idque toto populo & Proceribus Regni spectantibus, ita multò magis debes abstinere à peccatis venialibus deliberatè commissis; ne post mortem arcearis à SS. Angelis ab ingressu in Regiam cælestem, & ad conspectum Dei: nisi pluris facias conspectum Regis quàm Dei. Quando senex Tobias factus cæcus, audiuit sibi dici ab Angelo: *Gaudium tibi sit semper; respondit: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cali non video?* Atqui magis desiderabunt animæ mortuorum, videre lætam faciem Dei, quàm desiderent cæci videre lumen solis. Ne

Tob. 5. 22. 13.

ergo post mortem sentias magnos mætores & dolores ob negatum tibi Dei conspectum, fuge nunc peccata venialia, & commissa expia quā primū, ne arcearis à videndo Deo post mortem.

Secundò, Considera ob peccata venialia in hac vita non expiata, multos pati in Purgatorio pœnas acerbiores, quàm passus sit Christus Dominus in hac vita, vt docet S. Thomas, & maiores quàm fuerint omnium latronum supplicia, vt dicunt SS. Augustinus, Cæsarius, Anselmus, Gregorius Papa, Beda. Imò S. Thomas dicit *minimam penam purgatorij, maiorem esse maximā penā huius vitæ.* Et Authos antiquos (sed non Cyrillus) apud S. Augustinum Epist. 206. ro. 2. scribit, audiuisse se à quodam resuscitato, per sacrum S. Hieronymi: *Omnia tormenta huius vitæ comparata minima pœne purgatorij, sunt solatia.* Mallet enim quilibet viuentium, omnes quæ hic videntur pœna, & tormenta, si illas experientiā nosceret pœnas, vsque ad finem mundi, omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quàm vnā die, in inferno, siue in purgatorio, minori quæ illic habetur penā torqueri. Et Christus Dominus dixit S. Brigittæ de quodam ad purgatorium icuro: Sic in purgatorio amarum habebit anima eius supplicium, quòd nullus mortalis est, qui posset illud cogitare. Et tandem sic concludit Christus Dominus: *Quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam habent in mundo, & nullis tribulationibus fatigantur.* B. Maria Magdalena de Pazzis in extasi existens, dixit: *Omnia tormenta, quæ passi sunt Sancti Martyres, sunt tanquam amenus hortus, respectu eorum, quæ insignuntur in purgatorio.* Quocirca si certi essemus, nos ob vnum peccatum veniale deliberatè commissum, comburendos in foro à carnifice, spectante totā Ciuitate, omnino abstinere ab illo, ita cum maior sit ignis purgatorij, quàm huius vitæ, & à diabolis quandoque in eo torqueantur animæ, Deo spectante & Sanctis, ob vnum etiam peccatum veniale leuissimum, fugiendum est, quantum fieri potest cum Diuina gratia. Torqueri autem non semper, sed quandoque animas iustorum in purgatorio constat ex l. 4. René. S. Brigittæ c. 7. & 8. Beda l. 3. histor. c. 19. S. Bernardi vita l. 1. c. 10. Barón. A. 647. t. 8. Carthuf. de 4. nouiss. S. Gregor. p. libr. 4. dialog. cap. 36.

Tertio, Considera paucissimos iustos in adultærate morientes, recta ire ad cælum, sine sensibilibus pœnis ignis purgatorij, vt patet ex Historiis Ecclesiasticis, & docet Bellarminus: *Vix, inquit, vlti iusti homines, nisi ex magna misericordia Dei, penam purgatorij acerbissimam euadunt; ita vt recta ex corpore ad cælum euolent.* Ided tantò maiore conatu abstinere à peccatis venialibus; tanquam cauis tantarum pœnarum.

De

De modis euadendi penas Purgatorij.

Post Orationem preparatoriam.

Primus, considerare, cum ob sola peccata in hac vita non plenè à iustis expiata, animè ad purgatorium à iusto iudice Deo mittantur, conate, ut quàm minime & quàm rarissimè pecces, & peccata commissa, statim quoad culpam aboleas confessione sacramentali. Per hanc enim certius vi sacramenti abolerentur, quàm per contritionem vel dolorem aut amorem Dei, de quo nullus nostrum certus esse potest (citra reuelationem) an sit tantus & talis, qualis esse debet ex parte nostra, ut aboleat commissum peccatum.

Secundus, considera, & adhibe hos modos ferocis & certos satisfaciendi pro peccatis per confessionem remissis & euadendi penitus penas purgatorij, vel omninò omnes, vel saltem sensibiles illas quæ per ignem purgatorij infliguntur. Nam quædam sanctiores & puriores animæ solâ carentiâ visionis Dei in purgatorio torquentur, nullam autem sensibilem aliam ab igne illo penam sentiunt, ut patet ex historiis Ecclesiasticis, & docet Bellarminus.

Primus modus, satisfaciendi pro peccatis quoad culpam remissis est, patienter ferre aduersitates à Deo immixtas vel permissas, uti sunt mortes sanguine iustorum, damna rerum mobilium, & variæ persecutiones & iniuriæ siue verbis siue factis illatae, quæ solè, si multæ sint & magnæ, sufficiunt ad animam iusti rectè deducendam ad cælum, uti contigit animæ Angeli Paz vitæ sancti Franciscani sacerdotis, de quo post mortem certò rescitum est, iussisse ad cælum sine purgatorio, quia multa passus erat à suis quibusdam malis fratribus, præsertim ab vno. Per hanc viam procul dubio S. Iob purgatorij non sensit, quia tot calamitates patienter tolerauit, & postea sanctè vixit.

Secundus modus est, explere penitentias à confessorio iniunctas quæ quod sunt maiores, eò citius abolerentur. Ideò æquo animo ferèdum est, si aliquando etiam indiscretus aliquis (vbi contingit) Confessorius, graues penitentias iniungat, nunquam enim erunt tam graues, uti sine pena purgatorij.

Tertius modus est, penæ voluntariè susceptæ, uti sunt ieiunia, disciplina, cubationes in nudis alferibus, toleratio frigoris, vel caloris, eo sine suscepta, morsus pulicum, culicum, muscarum, ad hunc finem toleratus, & similia alia carnem assilgentia, eo sine adhibita, ut pro peccatis commissis satisfiat Deo.

Quartus modus est, frequens & feruens oratio, præsertim deuota Missæ auditio. Ideo statuetas aliquas quotidie habere orationes, mane præsertim antequam inchoes negotia, deinde vespere antequam cubitus eas. Exempli gra-

ta, recitare quotidie Officium B. Virginis, dicere eius coronam, vel breues multas coronulas, recitare Litanias Sanctorum & de Beatissima Virgine.

Quintus modus est, uti Indulgentiis, sed is minus est certus, quia, ut docent Theologi & Platus, præter potestatem quàm Deus dedit Romano Pontifici ad concedendas indulgentias, & concessionem earum, alia requiruntur ad consequendum effectum illarum, dependentia ab hominibus; ob quorum defectum sape à Deo non acceptantur: ut patet ex historiis variis fide dignis, mortuorum post executionem reatum in indulgentiis assignatarum, tamen diu post mortem in purgatorio detentorum.

Sextus modus est, vltus frequens & deuotus sacramentorum penitentiae & Eucharistiae: quæ etsi possit omnes penas abolerere, tamen ut docet S. Thomas, nò omnes abolet, sed iuxta quantitatem deuotionis, & feruoris cù quo Eucharistia sumitur, vel ut sacrificij pro aliis offertur.

Septimus modus, & omnium commodissimus euadendi penas purgatorij est, quotidie multa bona opera facere ob aliquem finem supernaturalem, quia, ut docet S. Concilium Tridentinum, præter orationem, ieiunium, & eleemosynam etiam alia opera pietatis satisfactoria sunt pro penis. Quocirca si iustus opera ordinaria quæ faciunt, etiam comestionem, ambulationem, recreationem, somnum, denique omnia (solo peccato excepto) faceret, ob finem supernaturalem incredibiliter minueret penas in purgatorio, vel in hac vita luendas. Et hunc modum B. M. Magdalèna de Pazzis commendabat suis Monialibus, tanquam aptum ad euadendas penas purgatorij. Immo hic modus est, per quem possumus locum in cælo attingere altissimum Diuino throno proximum.

Octauus modus, pro diuitibus est, eleemosynarum elargitio. Quoniam, ut dicitur Iob 4. 11. Eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire ad tenebras. Ideò Daniel Propheta suadebat Nabuchodonosori: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Eleemosyna, enim, ut dixit Angelus Raphael Tobia, purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam, usque adeò ut S. Thomas cum aliis doceat, Eleemosynam plus esse satisfactoriam pro peccatis, quàm ieiunium & orationem. Diuites ergo facilius possunt euadere penas purgatorij dando Eleemosynas, quæ cæteris paribus magis Deo placeant, si dentur personis Deo magis caris, & maiore necessitate pressis (vbi sunt ciues honesti qui erubescunt mendicare) & Dei cultum magis promouentibus. Delibera ergo tecum, quomodò modis suprascriptis uti debeas, ne post mortem vllas purgatorij penas patiaris, & quod pro liberando te à doloribus colicis vel podagræ faceres, fac eodè conatu pro anima tua, ab illius ignibus præseruanda.

547.
l. 1. de bb.
stat. Re-
lig. c. 17.
548.
3. p. q. 79.
549.
scilicet. 1. 4.
can. 13.
Virgil. in
Vita c.
550.
Dan. 4.
Tob. 12.
in 4. d. 15.
2. q. 2.
Med. c. de
eleem. q.
2. Palud.
in 4. d. 15.
q. 3. q. 1.
concl. 4.



De vita rectè instituenda à Regni Proceribus.

551. **P**ost Orationem preparatoriam. *Primò*, considera quomodo deinceps te gerere debeas, circa fugam peccatorum, & occasionum, per quas ad illa antea delaberis, reuocatis in memoriam iis quæ hæcenus in hac Collectione agnouisti, tibi esse faciendæ, & scripto annotata interdum tibi relegendo, quomodo te debeas gerere quoad vitanda peccata & occasiones eorum.

Secundò, considera, & scripto annota, quomodo deinceps debeas te erga Deum gerere, quoad frequentiam Sacramentorum, & priuatas orationes ac deuotiones, & auditionem concionum, ac uisitationem templorum.

Tertiò, considera in quos defectus laberis hæcenus in conuersatione cum domesticis, cū uxore, si illam habes, & cum famulis, & annota fugiendos defectus.

Quartò, considera, an benè tractaueris tuos subditos siue ciues, siue rusticos, & si quid sit emendandum, emenda.

Quintò, considera Officiū publicum si geris aliquod, an in eo contra caritatem vel iustitiam deliqueris, & quid deinceps in eo vel uitandum vel faciendum esse agnoueris, statue apud te, & scripto annota memoriæ causa.

Sextò, considera an tui domestici & subditi faciant id, quod debent vel Deo vel Ecclesiæ, circa frequentationem ad eas, circa usum Sacramentorum, circa solutionem decimarum, circa administrationem iustitiæ, & circa alia. Et efficaciter illos adige, ut præstent quod debent. Statue uerò, ut saltem quolibet mense, famuli & ancillæ tuæ confiteantur & communiceant: assignando pro hac re illis instar legis, ut id faciant, vel primâ Dominica cuiusuis mensis, vel in præcipuo festo illius mensis. Nam & de hoc Patres familias reddent rationem Deo in die Iudicij.

Septimò, quæ proposuisti facere vel vitare vel corrigere, manifesta dirigenti te Patri in Exercitiis, cum eo confer, ita maiore luce acceptâ ab eo, solidius & melius exequeris bona proposita facta in hac Collectione.

Octauò, præcipua proposita, maximè quæ cernunt fugam peccatorum mortalium, aut molestiarum antea aliis siue domesticis siue extraneis adferri à te, aut à quopiam alio, tibi subiecto solitarum, quotidie renoua, in sacro, post elevationem Sanctissimi Sacramenti, & offer Diuinæ Maiestati in vnione meritorum Christi Domini, & in vnione illius, quod audis sacrificij, peteque à Domino gratiam illa exequedi, & si aliquid non es exequutus uehementer dole, confundere, humilia te, in culpa tuam infidelitatē in seruandis promissis, seu propositis Deo factis,

ueniam pete ut tibi Deus condonet, confessione quamprimùm expia, & cautius uiuere stude, ac pro his omnibus à Beatissima Virgine Maria, ab Angelo tuo custode, à Patronis tuis particularibus, denique ab omnibus profus Sanctis qui sunt in cælo, pete intercessionem apud Diuinam Maiestatem pro te, ut semper bona proposita exequaris, & de bono in melius proficias iuxta incrementum ætatis.

Monita dat a cuidam comiti Bohemo, ea perenti, Anno 1642.

552. **C**um Illustrissima D. V. pro sua spiritali dictione & sui similitū petierit aliqua monita, iuxta quæ possit placere Deo & hominibus, & in Aulâ Augustissimi Imperatoris Christianæ uiuere, & saluari, ac æternæ damnationis discrimen euadere; hæc Illustrissime D. V. commendo & eius similibus valdè profutura.

Primò. Nunquam peccet mortaliter, ne quidem cogitatione, tum propter alia motiua, quæ sæpè Illustrissima D. V. audiuit à Concionatoribus & legit in libris piis, tum maximè, quia quodlibet peccatum mortale, quod homines committunt, est iusta causa uehementer timendi, ne fortè sit illud, post quod commissum, Deus ab æterno præciterit, hominem esse ob suam culpam damnandum, & illum ob eius culpam damnationi æternæ destinauerit. Nec enim Deus casu, & temerè damnat quos damnat, sed hos damnat propter pauciora, alios propter plura peccata ab eo præuisa, quæ vitare poterat, si uoluisset cooperari gratiæ Dei, omnibus à Deo oblata. Quando ergo completur malitia peccatorum per vltimum peccatum mortale, à Deo præuisum, (& ne committeretur, à Deo in conscientia præmonitum ne committeretur) tunc executio fit damnationis æternæ, non quidem statim, sed prout Deo videtur, quandoque post multa alia peccata mortalia adiuncta, expectante interim Domino Deo conuersionem & penitentiam peccatoris, qui semper habet tempus penitentiae, quia Dominus Deus stat ad ostium & pulsat, ut ait S. Ioannes, & per eum Spiritus Sanctus, & ut dixit præclarè celebris Orosius Cordubensis in Ecclesiastica historia, *Deus non tantum omnibus, sed & singulis offert gratiæ suæ auxilia, pro singulis temporum momentis.*

Secundò, si contingat ut peccatū aliquod mortale committat, eo ipso die illud confiteatur. *Cur?* *Primò*, quia fieri potest ut illo die moriatur vel morte subitaneâ, vel violentâ, & casuali. Quod, si fieret, damnaretur, nisi præmisisset confessionem vel actum contritionis. *Secundò*, quia ij qui post peccatum mortale commissum statim illud confitentur, non sunt eorum è numero, de quibus dixi in primo Monito. Et tales peccatores Dominus Deus volēs illos saluare, excitat, ut statim

statim confiteantur, & ponant se in statu salutis. Ideo valde bene faciunt illi Proceres, qui semper habent in suo comitatu Sacerdotes & domi, & in itineribus, si opus sit, ab iis absoluantur.

554. *Tertio*, quia in Aula Augustissimi Imperatoris multi sunt Proceres egregij, qui habent quidem magnam spem in misericordia Dei, sed media non querunt salutis, ita opportunè, vti deberent, suadeo Illustrissimæ D.V. vt voto se obliget, ad confitendum peccatum mortale, si illud (quod absit) committeret (nunc enim illud, Deo laus, non committit, sed illud horret) illo ipso die.

555. *Quarto*, quia multi non explent vota Deo facta, simul cum voto præterito, adiungat alterum votum, eo die quo non confessus est (cum potuerit peccatum illud, vel plura) dandi eleemosynam pauperibus in Nofocomio iacentibus, & quidem grandem, vt saltem hoc motivo (quod apud multos efficacius est) inducatur ad confessionem eodem die naturali quo aliquod peccatum mortale commisit.

556. *Quinto*, pro confessionibus peccatorum mortalium, eligat Confessarios quos scit esse valde doctos, & eleemosynas ab illustrissima D.V. nõ expectaturos, & quos scit, sincerè dicere quæ debent dici sine respectu Dignitatum & officiorum in Republica magnorum. Quia mihi certò constat, etiam doctos Confessarios, spe eleemosynæ, absoluerunt solitos, eos qui erant & sunt, incapaces absolutionis, vel propter concubinas domi retentas, vel propter vsuras prætextu Wyderkaff palliatas, vel propter non factas restitutiones famæ, & pecuniarum ac similitum damnorum, vel propter tutelam pupillarum malè administratam malitiosè cum dano agnito pupillarum, sub spe condonationis eorum, precibus violentis extortæ, quæ in conscientia non prodest, nec tollit obligationem restitutionis, vti docet Sacri Canones & Theologi omnes.

557. *Sexto*, pluris faciat meditationem rerum piarum, quam multas preces & orationes vocales ex priuata deuotione susceptas. Quia meditatio rerum diuinatum per pias considerationes, sed præcipuè per motam iis voluntatem, ad fugam peccatorum particularium, & ad amorem operum bonorum in particulari, hominem Dei beneficio reddit in quouis statu valde pium & bonum. Nam, vt ait S. Bernardus, & quotidiana docet experientia: *Consideratio mentem de qua oritur, purificat*, (excitando dolorem de peccatis animam sedantibus, & ostendendo eorum turpitudinem) *deinde regit affectus*: (ne homo quicquam faciat, & dicat, ex passione vel ira, vel odij, vel inordinati amoris, aut alio simili prauo affectu) *dirigit actus*: (vt omnia fiant cum decore & debito modo) *corrigit excessus*: componit mores, vitium honestat, & ordinat. Hac est, quæ aperienda præ-

Lancicij Opusc. Tom. 2.

ordinat (in senatu, in iudiciorum loco, domi, foris; ne quid ex impetu naturæ inconsideratè fiat) *acta recogitat*, vt nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens.

558. *Septimo*, curet vt domestici famuli, præsertim infirmi, quolibet die festo sacrum audiât, & singulis mensibus confiteantur & communificent: Et vt id fiat, constituat certum famulum bonæ conscientia, qui huic rei attendat, & an seruetur referat. Eandem ob causam, nisi grauis vtgeat necessitas, diebus festis nec iter faciat, nec famulos aliò mittat, tum vt seruetur ad litteram Dei præceptum de festis sanctificandis, tum ne occasione itineris, aliqui famuli Missam audire non possint.

559. *Octauo*, diligentissimè caueat, ne subditis vlla profus onera imponat, ad quæ ex prima eorum institutione non fuerunt obligati, siue ea sint in suscipiendis itineribus ad vehendas vel ferendas res aliquas, siue in laboribus domi, vel in agris, siue in alendis canibus vel catulis, siue in contributionibus ad Domini aduentum conferri nullo iure solitis, siue aliis modis. Quia quodlibet tale onus, ad quod non sunt obligati rustici ex primâ eorum erectione, si sit æstimabile pretio vnus ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque obligat ad restitutionem, quam nisi faciat, si scit & potest, (vti potest,) damnabitur in æternum.

560. *Nono*, eos qui recurrunt cum libellis supplicibus, petentes aliquam gratiam, vel qui ferunt litteras ab aliis Dominis responso indigentes, facillè admittat, & non detineat, sed quamprimum potest expediat modo decenti & debito. Nam si ob moram culpabilem illi misselli interrim cogantur pro suo vel equi victu plus expendere, expectando responsum, Dominus non erit sine culpa. Idem dico de sententia in iudiciis ferenda, & de rebus controuersis iudicandis, ne iudicia & sententiæ seque Decreta iudiciaria differantur sine graui necessitate. Alioqui litigantibus magna fit iniuria, obligans ad restitutionem & satisfactionem damnorum, quæ incurrent litigantes, expectando liti decisionem, sine iusta dilationis causa.

561. *Decimo*, nullum accusatum etiam solâ mente condemnent, multò minùs verbo vel castigatione, nisi priùs placidè audiat accusati defensionem. Quam vt ille sine metu adferat, non indiget vlli mortalium, se esse iratum accusato. Ita enim accusatus, præ metu, non tam benè se defendet. Ideò sciatur ab omnibus Illustrissimam D.V. parti accusatæ alteram aure, idque semper, seruare. Experientia enim quotidiana docet, etiam à viris bonis (sed deceptis, vel ab aliis, vel à facili credulitate nature) profectas accusationes, etsi viderentur valde probabiles, fuisse & esse valde falsas.

562. *Vndecimò*, det operam vt ex reductibus quos percipit ex suis dominiis, præter sumptus & expensas pro suis & suorum alimentis ac stipendiis, & certam quotam annuatim deponendam pro aduersis calibus, si qui acciderent, quod absit, reliquum conuertat pro aternitate. Hoc est, pro pijs operibus, quorum beneficio & plurima congregabit merita coram Deo, & in gratia eius valdè crescet, & magnas in celo coronas suo tempore recipiet, & felicem rebus suis successum impetrabit à Deo, & post mortem penas purgatorij vel omnes vel maximâ ex parte euadet, iuxta quantitatem eleëmofynarum ad pia opera conuersarum. Ne autem hac in re graui erret, certò sciat, magis Deo placere & animæ utiliores longè esse illas eleëmofynas, quæ conuertuntur ad fundanda vel augenda vel ornanda templa viuâ, hoc est, homines, quam quæ expenduntur pro templis mortuis. Tempa enim viuâ, sunt membra Christi, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, non sic fabricæ piæ & supellex earum. Ideò sancti Patres docent, pro auxilio captiuorum & similitu, etiam sacros calices posse comminui & vendi. Et quò fuerint melioris vitæ templa viuâ (vti sunt Religiosi) cæteris paribus, maioris meriti sunt illis collatæ eleëmofynæ, quia sunt Deo illæ personæ cariores, quàm mendici vagabundi, vt plurimum potationibus secretis & rixis dediti, vix aliquando sacrum diebus festis audientes.

563. *Duodecimò*, cum Christianos deceat esse meliores Ethnicis, & turpissimum sit virtutibus ab his superari, exempla virtutum ab Ethnicis edita, quæ legendo eorum historias obseruabit, conetur modis omnibus Deo adiuuante in suis exprimere moribus, immò etiam præstantiora edere. Exempli gratia: Scipio Romanus caprâ Hispanicâ Carthagine, ne quidem in conspectum suum adduci passus est captiuas puellas eximie pulchritudinis, ne quid de Virginitatis integritate, saltem oculis delibasse videretur. Vt enim benè scripsit Apuleius: *Venus saltat oculis* hoc est, tam facile coniungitur, aspectus fæminæ cum illius venerea concupiscentia, quàm facile est anlicis alitque ad lyra sonum saltare. Sic Augustus irasci penè nunquam visus est, postquam hoc à Mæcenate monitum audiuit: *Iniquum est ea velle egrè ferre, quæ si vera sunt, præstat non admisisse, sin falsa, dissimulare.* Philippus Rex Macedonum cum ex Atheniensium Legatis quaeriuisset, quid posset facere quod foret Atheniensibus gratum, & Demochares ei dixisset: *Te suspendere*, exortâ licèt repente indignatione circumstantium, ad tam indignum responsum, Philippus iussit quiescere, & Legatum illum ad eò impudentem, dimittere incolumem.

Sunt & aliæ eximie virtutes Ethnicorum saltem in externâ specie valdè laudabiles, quæ imitationem merentur Christianorum, ne in iudicij die hanc quoque ob causam confundantur, quod Ethnicis similia facinora non ediderint.

Decimotertid, habeat aliquem grauem virum (sed non famulum) & Deo timore præditum, ac ab assentionibus liberum, à quo obnixè perat, vt quouis mense ei referat tria. *Primò*, quid de illo dicant homines vituperatoriè. *Secundò*, quid de eius famulis & modo viuendi famulorum in arcæ & extra arcem. *Tertid*, quomodo tractentur in pagis rustici à Capitaneis & alijs Officialibus eius. Et non indicatâ personâ quæ aliquid tale retulit, debita remedia adhibeat.

Decimoquartid, quamuis sit in statu matrimonij, si non vult SS. Eucharistiam octauo quoque die sumere (quod omnino potest certo modo, quem ore tenus dixi) saltem confiteatur vnâ cum Illustrissima & prole adultâ, ad percipiendos illos fructus, quos ex Catechismo scit provenire ex vsu bono & frequenti horum Sacramentorum. Ideò in primitiua Ecclesia communicabant quotidie etiam in matrimonio constituti, & erat hac de re Ecclesiæ Decretum, id vt facerent.

Decimoquintid, commendo Illustrissimæ D.V. vsum breuis coronulæ à me descriptum, & vt ad alios ad idem faciendum suauiter adducat, rogo. Multum conciliabit sibi gratiæ apud Deum, hac deuotione etiam ad alios dilatâ.

Decimosexid, quando sola est, nec vllâ re occupata est, sed habet tempus pro oriando aptum, loco orij deambulet (ob sanitatem corporis) & singulos passus Deo offerat, saltem mente dicendo: *Propter te Domine.* Ita tot merita acquirit, quot passus faciet, & tot particulas penarum in purgatorio luendarum abolabit, Causam dicâ ore tenus. Nam nolo esse longior hic. Immo & choreas honestas ducendo, ad singulos pedum motus, si eos Deo offerat merebitur: vno verbo, in quavis actione quæ peccatum non sit. Hoc Apostolus Paulus commendauit, dicens: *sue manducatis, sue bibitis, sue aliud aliquid (id est, quodcunque) omnia in gloriam Dei facite.* Et ita S. col. 7. Chrylost. *Etiam à leuissimis rebus & vilissimis (vti est alearum vel chartarum lusus) maximas utilitates capiemus, si propter Deum ipsam eas faciamus. Quid enim est tonsione crinium vilis? hoc tamen licèt propter Deum facere. Sed & ad imos vsque calceos demittere hunc morem licet. Licet ergo & calceis istis propter Deum vti: Si uxorem duxerimus, propter Deum hoc faciamus. Licet vobis singula quæ sunt aut geruntur percurrere, & omnia propter Deum facere.* Hæc S. Chrylostomus magnus S. Ecclesiæ Doctor.